


AU

VI

MA

S

HOM

per pia

ex San

Doctori

PRO QVO

in sing

A P.

Ordin

Sa

T O

Erem

Erem

V

Ex Ty

Superi

DIVUS AUGUSTINUS VITÆ SPIRITUALIS MAGISTER, SEU INSTRUCTIO HOMINIS CHRISTIANI,

per pia quædam, ac salutaria documenta ex Sanctissimi Patris ac Maximi Ecclesiæ Doctoris AUGUSTINI operibus collecta,

ET

PRO QUOTIDIANA SPIRITUS ALIMONIA in singulos dies, Ferias, ac Festa totius Anni distributa,

A P. FELICE MAYR
Ordinis Eremitarum S. AUGUSTINI,
Sacræ Theologiæ Lectore.

TOMUS TERTIUS.



VENETIIS,
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

MDCCXXXV.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.



PR

II

PRO F

In No



li. Qu
appellatu
Abraham
habet D
tem Sac
dicatur
Christus
fet reder
ctat. 3. *in*
tore, cù
tiaretur,
Jesum :



PRO FESTIS IMMOBILIBUS.

PRO FESTO CIRCUMCISIONIS.

In Nomine JESU Salvatorem suum adoret homo Christianus.



Liam significationem habet Jesus, aliam habet Christus: cùm sit unus Christus Jesus Salvator noster, Jesus tamen proprium nomen est illi. Quomodo Moyses proprio nomine appellatus est, quomodo Elias, quomodo Abraham: sic tamquam proprium nomen habet Dominus noster Jesus: Christus autem Sacramenti nomen est. Quomodo si dicatur Propheta, si dicatur Sacerdos: sic Christus commendatur unctus, in quo esset redemptio totius populi Israel. (*Tractat. 3. in Ep. Joan.*) De Domino Salvatore, cùm ejus nativitas proxima prænuntiaretur, dictum est : *Vocabunt nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum*

suum à peccatis eorum, (*Mat*. 1.) Jesum tenemus, interpretationem nominis hujus habemus. Quare Jesus, quod Latinè salvator dicitur, quare Jesus? *Ipse enim salvum faciet populum suum*. Sed salvum fecit populum suum in manu potenti Moyses, & in adjutorio Excelsi à persecutione & dominatione Ægyptiorum: fecit salvum populum suum & Jesus Nave à persecutoribus bellisque gentium: per fecerunt salvum populum Judices, eum ab Allophylis liberantes; fecerunt & Reges, à dominatu circumquaque oblatrantium gentium liberantes. Non sic salvat Jesus: sed *à peccatis eorum*. *Vocabunt nomen ejus Jesum*. Quare? *Ipse enim salvum faciet populum suum*. Unde? *à peccatis eorum*. *Serm*. 293. Alia causa non fuit, quare veniret in mundum. Non eum de cœlo ad terram merita nostra bona, sed peccata duxerunt. Hæc est causa cur veniret, peccatores salvos facere. *Et vocabis*, inquit, *nomen ejus Jesum*. (1. *Timoth*. 1. *Serm*. 174.) *Fidelis sermo*, *&* *omni acceptione dignus*, *quia Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere*. Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ. Si venit de cœlo magnus medicus, magnus per orbem terræ jacebat ægrotus. Ipse ægrotus genus humanum est. *Venit Filius hominis quærere*, *&* *salvum facere quod perierat*, (*Luc*. 19.) Totum enim

enim perierat: ex quo peccavit unus, ubi erat totum periit totum. Sed venit unus ſine peccato, qui ſalvos faceret à peccato. Unuſquiſque ergo, Chariſſimi, quando audit Dominum Jeſum Chriſtum non veniſſe propter juſtos, ſed propter peccatores, non amet eſſe peccator: ne fortè dicat in corde ſuo: Si juſtus fuero, non me amat Chriſtus; ſi peccator fuero, amat me: quia propter peccatores deſcendit, non propter juſtos. Reſpondet enim tibi: Si medicum agnoviſti, febrem quare non timuiſti? Utique medicus ad ægrotum venit: ſed ideo venit medicus ad ægrotum, ne ille ſit ſemper ægrotus. Ægrotum amat medicus, an ſanum? Quod vult facere amat, non quod invenit. Ad ægrotum quidem venit, ad ſanum non venit: noli attendere quia ad illum venit, ad illum non venit: plus enim amat ſanum, quàm ægrotum. Nam, ut noveritis quia plus amat ſanum, quàm ægrotum, numquid faceret quod odiſſet? *Serm.* 175.

Pro Feſto Epiphaniæ.

Chriſtum Orbi manifeſtatum, genteſque ad fidem hodierna die vocatas, homo Chriſtianus grata mente recolat.

NUper celebravimus diem, quo ex Judæis Dominus natus eſt: hodie celebramus, quo à gentibus adoratus eſt. *Quoniam ſalus ex Judæis*: (*Joan.* 4.

sed hæc *salus usque ad fines terræ*, (*Isa.* 49.) Nam & illo die pastores adoraverunt, hodie Magi. Illis Angeli, istis autem stella nuntiavit. Utrique de cœlo didicerunt, cùm regem cœli in terra viderunt, ut esset *gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. (*Luc.* 2.) *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum*. (*Eph.* 2.) Jam hinc infans natus atque annuntiatus ostenditur lapis ille angularis, jam in ipso primordio nativitatis apparuit. Duos ex diverso parietes in se copulare jam cœpit, pastores à Judæa, Magos ab oriente perducens: ut duos conderet in se unum novum hominem, faciens pacem, pacem his qui longè, & pacem hi qui propè. Ideoque illi ipso die de proximo accedentes: de longinquo isti hodie venientes, duos dies celebrandos posteris signaverunt, unam tamen lucem mundi utrique viderunt. Sed hodie de istis loquendum est, quos de remotis terris fides duxit ad Christum. Venerunt enim, & quæsierunt eum dicentes: *Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum*: Nuntiant & interrogant, credunt & quærunt; tamquam significantes eos, qui ambulant per fidem, & desiderant speciem. Nonne alii reges Judæorum jam toties in Judæa nati erant? Quid est, quòd iste ab alienigenis in cœlo agnoscitur, in terra quæritur; in

alto

alto fulget, in humili latet? Quis eſt iſte rex tam parvus, tam magnus; nondum in terris loquens, jam in cœlis edicta proponens? Ipſe enim natus ex Matre, de cœlo terræ novum ſidus oſtendit, qui natus ex Patre cœlum terramque formavit. Eo naſcente, lux nova eſt in ſtella revelata, quo moriente lux antiqua eſt in ſole velata. Eo naſcente ſuperi novo honore claruerunt, quo moriente inferi novo timore tremuerunt, quo reſurgente diſcipuli novo amore exarſerunt, quo aſcendente cœli novo obſequio patuerunt. Celebremus ergo devota ſolemnitate & hunc diem, quo cognitum Chriſtum Magi ex Oriente adoraverunt; ſicut celebravimus illum diem, quo natum Chriſtum Paſtores ex Judæa viderunt. Ipſe enim Dominus Deus noſter elegit Apoſtolos ex Judæa paſtores, per quos congregaret ſalvandos etiam ex gentibus peccatores, *Serm.* 199. Celebremus devotiſſimè etiam iſtum diem; & Dominum Jeſum, quem primitiæ illæ noſtræ adoraverunt jacentem in diverſorio, nos habitantem adoremus in Cœlo. Hoc quippe illi in eo venerati ſunt futurum, quod nos veneramur impletum. Adoraverunt primitiæ gentium inhiantem uberibus matris, adorant gentes ſedentem ad dexteram Dei Patris. *Serm.* 203. Nunc ergo Chariſſimi, gratiæ filii & hæredes, videte vocationem veſtram, & manifeſtate Judæis & gentibus Chriſto tamquam

angulari lapidi perſeverantiſſima dilectione cohærete. Manifeſtatus eſt enim in ipſis cunabulis infantiæ ſuæ his qui propè, & his qui longè erant; Judæis in Paſtorum propinquitate, gentibus in Magorum longinquitate. Illi ipſo die quo natus eſt, iſti ad eum hodie adveniſſe creduntur. Manifeſtatus eſt ergo, nec illis doctis, nec iſtis juſtis. Prævalet namque imperitia in ruſticitate Paſtorum, & impietas in ſacrilegiis Magorum. Utroſque ſibi lapis ille angularis applicuit; quippe qui venit ſtulta mundi eligere, ut confunderet ſapientes; & non vocare juſtos, ſed peccatores; ut nullus magnus ſuperbiret, nullus infimus deſperaret. Unde Scribæ & Phariſæi dum nimis docti & nimis juſti ſibi videntur, cujus naſcentis civitatem oſtenderunt Prophetica eloquia recitantes, hunc reprobaverunt ædificantes, *Serm.* 200. Nos ergo, Chariſſimi, quorum erant illi Magi primitiæ, nos hæreditas Chriſti uſque ad terminos terræ, cognito Domino, & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, qui propter nos conſolandos tunc jacuit in anguſto diverſorio, nunc propter ſublimandos ſedet in cœlo; ſic eum annuntiemus in hac terra, in hac regione carnis noſtræ, ut non quà venimus, redeamus, nec prioris noſtræ converſationis veſtigia repetamus. Hoc eſt enim quòd & illi Magi non quà venerant, redierunt. Via mutata, vita mutata eſt. Nos Regem & Sacerdotem, &

pro nobis mortuum Christum agnoscentes atque laudantes, tamquam in auro & thure & myrrha honoravimus : superest, ut novam viam carpamus, non quà venimus redeamus, *Serm.* 202.

Pro Festo Purificationis.

Homo Christianus quàm ardenter Christum, salutare suum, amplecti debeat, exemplo justi Simeonis edocetur.

A*Nnuntiate diem ex die salutare ejus*, (*Psal.* 95.) annuntiate diem ex die Christum ejus. Quid est enim salutare ejus, nisi Christum ejus? Pro isto salutari oramus in Psalmo : *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*. (*Ps.* 84. Desiderabant hoc salutare antiqui justi, de quibus Dominus dicebat discipulis : *Multi voluerunt videre quæ vos videtis, & non potuerunt*. (*Luc.* 10.) Dixerunt hoc antiqui justi, *Salutare tuum da nobis* : Christum tuum cùm in hac carne vivimus, videamus. Videamus in carne, qui nos liberet à carne: veniat caro mundans carnem ; patiatur caro, & redimat animam & carnem : *Et salutare tuum, Domine, da nobis*. In hoc desiderio erat ille sanctus senex Simeon: in hoc, inquam, desiderio erat ille sanctus & de Deo bene meritus Simeon ; sine dubio & ipse dicebat : *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*. In hoc desiderio, in ta-

libus precibus responsum accepit, quia non gustaret mortem, nisi vidisset Christum Domini. Natus est Christus, veniebat ille, ille ibat: sed donec veniret ille, ille ire nolebat. Jam senectus matura excludebat, sed sincera pietas detinebat. At ubi venit, at ubi natus est, at ubi eum portari matris manibus vidit, & divinam Infantiam pia senectus agnovit; accepit eum in manus suas, & dixit: *Nunc dimittis Domine servum tuum in pace: quoniam viderunt oculi mei salutare tuum*. Ecce unde dicebat: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*. Impletum est desiderium senis, mundi ipsius senectute vergente. Ipse ad senem hominem venit, qui mundum veterem invenit. *Sermon.* 163. Gestabat eum Maria mater ejus infantem: vidit ille, & agnovit. Ubi noverat quem agnovit? An intus est revelatus, qui foris est natus? Vidit & agnovit. Agnovit Simeon infantem tacentem; & occiderunt Judæi juvenem mirabilia facientem. Majestas ibi latebat, ubi infirmitas apparebat. In manus suas Simeon infirmitatem accepit, sed majestatem intus agnovit. Cùm ergo cognovisset, accepit in ulnas suas, hoc est, in brachia sua, amplexatus est eum. Portabat à quo portabatur. Ipse enim Christus est Sapientia Dei, attingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter. (*Sap.* 8.) Quantus ibi

erat,

erat, & quàm magnus, quàm parvus factus erat! Parvus factus, parvos quærebat. Quid est, parvos quærebat? Non superbos, non elatos; humiles & mites colligebat. In præsepi dignatus est poni, ut esset piorum cibaria jumentorum. Accepit ergo eum Simeon in brachia sua, & dixit: *Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace*. Dimittis in pace, quia video pacem. Quare ergo dimittis in pace? *Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum*. Salutare Dei, Dominus Jesus Christus, *Serm.* 370. Dicamus illi & nos: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*. Da nobis Christum tuum. Jam quidem dedit nobis Christum suum: adhuc tamen illi dicamus, Da nobis Christum tuum: quia dicimus illi, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et quis est panis noster, nisi ipse qui dixit: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*? (*Joan.* 6.) Dicamus illi, Da nobis Christum tuum. Dedit enim nobis Christum, sed hominem: quem nobis dedit hominem, eum ipsum nobis daturus est Deum. Hominibus enim hominem dedit, quia talem illum dedit hominibus, qualis posset capi ab hominibus; Deum enim Christum nullus hominum capere poterat. Factus est hominibus homo, servavit se Deum Diis. An fortè arroganter dixi? Revera arroganter, nisi ipse dixisset: *Ego dixi, Dii estis, & filii Altissimi omnes*, (*Ps.* 81.)

Ad hanc ipſam adoptionem renovamur, ut efficiamur filii Dei. Jam quidem ſumus, ſed per fidem: ſumus quidem in ſpe, nondum ſumus in re. Modò enim credimus quod non videmus: permanendo in eo quod credentes non videmus, merebimur videre quod credimus. Propterea Joannes in Epiſtola ſua quid ait? *Dilectiſſimi, filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus.* Enar. in Pſ. 84. n. 9. (*1. Joan. 3.*)

Pro Feſto S. Mathiæ Apoſtoli.

Electio S. Mathiæ ad Apoſtolatum per ſortem facta, docet hominem Chriſtianum, vocationem ad fidem eſſe gratuitum Dei beneficium, grato ſemper animo recolendum.

IN *te Domine ſperavi: Dixi, Tu es Deus meus: in manibus tuis ſortes meæ,* (*Pſal.* 30.) Non in manibus hominum, ſed in manibus tuis. Quæ ſunt iſtæ ſortes? Quare ſortes? Audito nomine ſortium, non debemus ſortilegos quærere. Sors enim non aliquid mali eſt, ſed res eſt in dubitatione humana divinam indicans voluntatem. Nam & ſortes miſerunt Apoſtoli, quando Judas tradito Domino, periit, & ſicut de illo ſcriptum eſt, *Abiit in locum ſuum*: cœpit quæri, quis in locum ejus ordinaretur, electi ſunt duo judicio humano, & electus de duobus

unus judicio divino: de duobus consultus est Deus, quemnam ipsorum esse vellet, & cecidit sors super Mathiam. (*Act.* 1.) Quid igitur est, *In manibus tuis sortes meæ?* Sortes dixit, quantum ego existimo, gratiam qua salvi facti sumus. Quare sortis nomine appellat gratiam Dei? Quia in sorte non est electio, sed voluntas Dei. Nam ubi dicitur, Iste facit, iste non facit, merita considerantur; & ubi merita considerantur, electio est, non sors: quando autem Deus nulla merita nostra invenit, sorte voluntatis suæ nos salvos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus. Hæc est sors. (*Jo.* 1. 19.) Meritò tunica illa Domini desuper texta, quæ significat charitatis æternitatem, cùm dividi à persecutoribus non posset, sors super eam missa est: ad quos pervenit, eos significavit qui videntur ad sortem pervenire Sanctorum. *Gratia salvi estis per fidem*, (*Eph.* 2.) ait Apostolus Paulus, *Gratia salvi facti estis per fidem: & hoc non ex vobis*, (vide sortem) *& hoc non ex vobis sed Dei donum est: non ex operibus* (quasi vos benefeceritis, ut ad hoc accedere digni essetis,) *non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis. Enar.* 3. *in Psal.* 30. *n.* 13. In hoc Domino & Salvatore nostro Jesu Christo posita est magna & plena gratia, de qua dicit Apostolus Joannes, *Et vidimus gloriam ejus, gloriam tamquam Unigeniti à Patre, plenum*

gra-

gratia & veritate. (*Joan.* 1.) Hanc *gloriam cœli enarrant.* (*Ps.* 18.) Sancti sunt, elevati à terra, portantes Dominum. Quamquam gloriam Christi cœlum etiam quodammodo narravit. Quando narravit? Quando nato eodem Domino stella nova quæ numquam videbatur apparuit. Sed tamen sunt veriores & sublimiores cœli, de quibus consequenter ibi dicitur, *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quorum, nisi cœlorum? Quorum ergo, nisi Apostolorum? Ipsi enarrant nobis gloriam Dei, positam in Christo Jesu, per gratiam in remissionem peccatorum. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei, justificati gratis per sanguinem ipsius.* (*Rom.* 3.) Quia gratis, ideo gratia. Non est enim gratia, si non gratuita. Quia nihil boni antè feceramus, unde talia dona mereremur: magis quia non gratis inferretur supplicium, ideo gratis præstitum est beneficium. Nihil præcesserat in meritis nostris, nisi unde damnari deberemus. Ille autem non propter nostram justitiam, sed propter suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum Regenerationis. (*Tit.* 3.) Hæc est, inquam, gloria Dei: hanc cœli enarraverunt. Hæc est, inquam, gloria Dei, non tua. Nihil enim boni fecisti, & tamen tantum bonum accepisti. Si ergo pertines ad gloriam quam cœli enarraverunt, dic

Do-

Domino Deo tuo, *Deus meus misericordia ejus præveniet me*. (*Psalm.* 58.) Prævenit enim te : utique prævenit, quia nihil in te boni invenit. Prævenisti supplicium ejus superbiendo : ille prævenit supplicium tuum peccata delendo. Tamquam enim ex peccatore justificatus, ex impio deus factus, ex damnato in regnum assumptus, dic Domino Deo tuo, *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. (*Psal.* 113.) Dicamus, Non nobis. Quibus enim si quasi nobis? Dicamus, inquam, non nobis: quia si ita faceret sicut nobis, nonnisi pœnas infligeret nobis. Non nobis, sed nomini suo det gloriam: quia non secundùm iniquitates nostras fecit nobis. Non ergo nobis, Domine, non nobis. Repetitio, confirmatio est. Non nobis, Domine, sed nomini tuo da gloriam. Hoc illi noverant cœli, qui enarraverunt gloriam Dei. *Enar.* 2. *in Psalm.* 18. *num.* 2.

Pro Festo SS. Patriarchæ Josephi.

Nihil dignius de sancto Josepho cogitare poterit homo Christianus, quàm si in illo Christi Patrem, Virginis Maritum veneretur.

Cum esset duodecim annorum Dominus Jesus Christus secundùm hominem, (*Luc.* 2.) qui secundùm Deum est ante tempora & sine tempore, remansit ab eis in templo, & disputabat cum senioribus, & admirabantur super doctrina ejus,

ejus. Illi autem redeuntes de Jerosolymis quæsierunt illum in comitatu suo, inter eos scilicet qui secum ambulabant; & non eum invenientes, turbati redierunt Jerosolymam, eumque disputantem in templo cum senioribus invenerunt, cùm esset, ut dixi, annorum duodecim. Sed quid mirum? Verbum Dei numquam tacet: sed non semper auditur. Invenitur ergo in templo, & dicit ei Mater ejus, *Quid nobis fecisti sic? Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Et ille, *Non sciebatis quia oportet me in his esse quæ Patris mei sunt?* Non enim sic se volebat esse filium illorum, ut non intelligeretur filius Dei. Filius enim Dei, semper filius Dei, creans illos ipsos. Filius autem hominis ex tempore, natus de Virgine sine semine maritali, parentem tamen habebat utrumque. Unde hoc probamus? Jam dixit Maria, *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Primò non est prætermittenda, Fratres, tam sancta modestia Virginis Mariæ. Christum pepererat, Angelus ad eam venerat, & dixerat ei, *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum: Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.* (*Luc.* 1.) Meruerat parere filium Altissimi, & erat humillima: nec se marito, nec in ordine nominis præferebat, ut diceret, Ego & pater tuus: sed, *Pater tuus*, inquit, *& ego*. Non attendit sui uteri dignitatem: sed attendit ordinem conjugalem. Non enim humilis Christus

Ma-

Matrem suam superbire docuisset. *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Pater tuus*, inquit, *& ego*: (*Eph. 5.*) quia caput mulieris vir. Quod ergo respondet Dominus Jesus Christus, *Oportebat me esse in his quæ Patris mei sunt*: non sic indicat Patrem, ut neget patrem Joseph. Unde hoc probamus? Secundùm Scripturam, quæ sic ait, *Et cùm descendisset cum illis, venit Nazareth, & erat subditus illis*. Non dixit, Erat subditus matri, aut erat subditus ei: sed *erat*, inquit: *subditus illis*. Quibus subditus erat? nonne parentibus? Ambo parentes erant, quibus ille subditus erat, ea dignatione qua filius hominis erat. Videtis ergo, Fratres, quòd non ita dixerit: *Oportet me in his quæ Patris mei sunt esse*, ut intelligeremus, quasi dictum, Vos non estis parentes mei. Sed parentes illi temporaliter, Pater ille sempiternè. Parentes illi filii hominis: Pater ille Verbi & Sapientiæ suæ, Pater virtutis suæ, per quam cuncta formavit. Ubi natus est Rex omnium gentium, cœpit dignitas Virginalis à Matre Domini, quæ & filium habere meruit, & corrumpi non meruit. Sicut ergo erat illud conjugium, & sine ulla corruptione conjugium: sic quod castè uxor peperit, cur non castè maritus acciperet? Sicut enim castè conjux illa, sic ille castè maritus: & sicut illa castè mater, sic ille castè pater. Qui ergo dicit, Non debuit dici pater, quia non sic genuerat filium; libidinem quærit in pro-

procreandis filiis, non charitatis affectum. Meliùs ille, quod alius carne implere desiderat, animo implebat. Nam & qui adoptant filios, castiùs eos corde gignunt, quos carne non possunt. Videte, Fratres, videte jura adoptionis, quomodo fit homo filius cujus semine natus non est; ut plus in eo juris habeat voluntas adoptantis, quàm natura gignentis. Ita ergo non solùm debuit esse pater Joseph, sed maximè debuit. Quod Spiritus Sanctus operatus est, utrisque operatus est. *Cùm esset*, inquit, *homo justus*. (*Matth.* 1. Justus ergo vir, justa fœmina. Spiritus Sanctus in amborum justitia requiescens, ambobus filium dedit. Sed in eo sexu, quem parere decebat, operatus est hoc, quod etiam marito nasceretur. Itaque ambobus dicit Angelus: ut puero nomen imponant: ubi parentum declaratur auctoritas. Nam & Zacharias cùm adhuc mutus esset, filio nato mater nomen imponebat. (*Luc.* 1.) Et cùm illi qui aderant innuerent patri quid eum vellet vocari, acceptis pugillaribus hoc scripsit, quod illa jam dixerat. Dicitur & Mariæ, *Ecce concipies filium, & vocabis nomen ejus Jesum*. (*Ibid. v.* 31.) Dicitur etiam ad Joseph, *Joseph fili David, ne metueris accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est. Pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jesum*. (*Mat.* 1.) Dicitur etiam, *Et peperit ei Filium*: (*Luc.* 2.) ubi omnino

no Pater non carne, sed charitate firmatur. Tantò firmiùs pater, quantò castiùs pater. *Serm.* 51.

Pro Festo Annuntiationis Beatissimæ Virginis Mariæ.

Consideret homo Christianus Mysterium Dominicæ Incarnationis, suæque salutis initium in Virgine gratia plena hodie peractum.

S*Emetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* (*Phil.* 2.) Ubi? In Virgine Maria. Angelus nuntiat, Virgo audit, credit, & concipit. Fides in mente, Christus in ventre. *Serm.* 196. Creditur Christus, & fide concipitur. Fit priùs adventus fidei in cor Virginis, & sequitur foecunditas in utero Matris. *Serm.* 293. Mira res est, quomodo concipere potuerit creatura Creatorem. Quid est ergo intelligendum, Fratres mei, nisi quia ipse sibi fecit carnem de sola Matre, qui fecit primum Hominem sine patre & matre? Primus ille noster casus fuit, quando foemina, per quam mortui sumus, in corde concepit venena serpentis. Persuasit enim serpens peccatum, & admissus est malè suadens. Si primus noster casus fuit, cùm foemina concepit corde venena serpentis; non mirandum quòd salus nostra facta est, cùm Foemina concepit in utero carnem omnipotentis. Uterque ceciderat sexus, uterque fuerat reparandus. Per mulierem in in-

interitum missi eramus, per mulierem nobis reddita est salus. *Serm.* 289. Mortem nobis persuaserat fœmina, vitam nobis peperit fœmina. *Serm.* 184. O verè gratia plena! Sic est enim ab Angelo salutata, *Ave gratia plena*. Quis hanc explicet gratiam? Quis huic gratiæ gratias agendo sufficiat? Fit homo, & per liberum arbitrium perit homo, & invenitur homo factus qui fecit, ne periret quem fecit. In principio Verbum Deus apud Deum, per quod omnia facta sunt; fit caro: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. (*Joan.* 1.) Caro fit Verbum, sed caro accedit ad Verbum, non perit in carne Verbum. O gratia! Ut hoc haberemus, quid digni eramus? Nuntiatur Christus Virgini Mariæ, & ipsa causam quærit & dicit Angelo, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* (*Luc.* 1.) *Serm.* 290. Modum quæsivit, non de Dei omnipotentia dubitavit. *Quomodo fiet istud?* Quis modus est, quo fiet istud? Annuntians mihi filium, habes meum paratum animum, dic mihi modum. Potuit enim Virgo sancta metuere, aut certè ignorare consilium Dei, quomodo eam vellet habere filium, quasi improbasset Virginis votum. Quid enim si diceret, Nube, conjungere viro? Non diceret Deus, accepit enim votum Virginis, quod vovit Deo. Et hoc ab illa accepit, quod ipse donavit. Dic mihi ergo, Nuntie Dei, *Quomodo fiet istud?* Vide Angelum scientem,

illam

illam quærentem, non diffidentem. Quia ergo vidit eam quærentem, non diffidentem, non se negavit instruentem. Audi quomodo: erit virginitas tua, tu tantùm crede veritatem, serva virginitatem, accipe integritatem. Quoniam integra est fides tua, intacta erit & integritas tua. Denique audi, quomodo fiet istud: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Tale umbraculum nescit libidinis æstum. *Propterea*, quia *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*; quia fide concipis, quia credendo, in utero, non concumbendo habebis: *Propterea quod nascetur de te Sanctum, vocabitur Filius Dei*. Quid es, quæ postea paritura es? Unde meruisti? unde hoc accepisti? unde fiet in te qui fecit te? Unde inquam, tibi hoc tantum bonum? Virgo es, sancta es, votum vovisti; sed multum quod meruisti, immò verò multum quod accepisti. Nam unde hoc meruisti? Fit in te qui fecit te, fit in te per quem facta es: immo verò per quem factum est cœlum & terra, per quem facta sunt omnia, fit in te Verbum Dei caro, accipiendo carnem, non amittendo Divinitatem. Et verbum jungitur carni, & Verbum copulatur carni; & hujus tanti conjugii thalamus, uterus tuus; & hujus, inquam, tanti conjugii, id est, Verbi & carnis thalamus uterus tuus: unde *ipse sponsus procedit de thalamo suo*. (*Ps.* 18.) Invenit te Virginem

con-

conceptus, dimittit Virginem natus. Dat fœcunditatem, non tollit integritatem. Unde tibi hoc? Protervè videor Virginem interrogare, & quasi importunè aures verecundas ista mea voce pulsare. Sed video Virginem verecundantem, & tamen respondentem, meque admonentem: Quæris à me unde mihi hoc? Verecundor tibi respondere bonum meum, Angeli audi ipsius salutationem, & in me agnosce tuam salutem. Crede cui credidi. Unde mihi hoc quæris? Angelus respondeat. Dic mihi Angele, unde Mariæ hoc? Jam dixi, cùm salutavi: *Ave gratia plena. Ser. 291.*

Pro Festo Sanctorum Apostolorum Philippi, & Jacobi.

Homo Christianus hoc tempore Paschali consideret in sanctis Apostolis columnas Ecclesiæ, in Passione Christi nutantes, in Resurrectione ipsius confirmatas.

D*Ispersa sunt omnia ossa mea.* (*Psalm. 21.*) Quid sunt ossa, nisi corporis firmamenta? Corpus autem Christi, Ecclesia. Firmamenta autem Ecclesiæ qui, nisi Apostoli, qui etiam columnæ alibi nuncupantur? Hi utique dispersi sunt, cùm ad passionem ipse duceretur, vel cùm esset passus & mortuus. *Epist. 140. n. 36.* Inter illos ambulaverat, ventis imperaverat, ante oculos ipsorum fluctus calcaverat, ante oculos ipsorum quatriduanum mortuum suscitaverat, ante oculos ipso-

rum

rum tanta miracula fecerat; & tamen trepidaverunt in passione ejus; quasi amisissent eum, de quo frustra presumpserant. Sed *per diem errabant*, *& nemo in eis*. (*Psalm.* 128.) Nemo prorsus, nec ipse qui dixerat, *Tecum usque ad mortem*. (*Luc.* 22.) Dixerat enim illis, *Veniet hora, ut me relinquatis solum, & eat unusquisque in viam suam*. (*Jo.* 16.) *Enar. in Psalm.* 138. *n.* 22. Illo pendente trepidaverunt, & tunc desperaverunt Apostoli, quando credidit Latro. (*Matth:* 26.) Petrus ausus est sequi, quando Dominus ad passionem ductus est, qui ad domum pervenit, & in atrio fatigatus est, ad ignem stabat, & friguit: ad ignem stetit, timore frigido congelavit. Interrogatus ab Ancilla negavit Christum semel: interrogatus iterum, negavit: interrogatus tertiò, negavit. Deo gratias, quia cessavit interrogatio: si non cessaret interrogatio, diu repeteretur negatio. Posteaquàm resurrexit, tunc eos confirmavit, tunc facti sunt spirítales. *Serm.* 135. Pro ejus nomine passi sunt, in cujus passione trepidaverunt. *Mihi autem valde honorificati sunt amici tui Deus*. (*Psal.* 138.) Idem ipsi, qui per diem erraverunt, & nemo fuit in eis, amici tui facti sunt, & valde mihi honorificati sunt. *Valde confortati sunt principatus eorum*. Facti Apostoli, facti duces Ecclesiæ, facti arietes ducentes greges: *Valde confortati sunt Principatus eorum. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.*

tur. Per illos qui per diem erraverunt, & nemo erat in eis, ecce nata eſt tanta iſta multitudo, quæ jam ſicut arena numerari non poteſt, niſi Deo. Dixit enim, *Super arenam multiplicabuntur*: & tamen dixerat, *Dinumerabo eos*: Illi ipſi numerati, *ſuper arenam multiplicabuntur*. Ei quippe arena numerata eſt, cui numerati ſunt capilli capitis noſtri. (*Matth*. 10.) *Enar. in Pſal*. 138. *n*. 23. & 24. *Ego confirmavi columnas ejus*. (*Pſ*. 74.) Quas columnas confirmavit? Columnas Apoſtolos dicit. Sic Apoſtolus Paulus de Coapoſtolis ſuis: *Qui videbantur*, inquit, *columnæ eſſe*. (*Gal*. 2.) Et quid eſſent illæ columnæ, niſi ab illo firmarentur? Quia quodam terræ motu etiam ipſæ columnæ nutaverunt, in paſſione Domini omnes Apoſtoli deſperaverunt. Ergo columnæ illæ, quæ paſſione Domini nutaverunt, reſurrectione firmatæ ſunt. *Ego*, inquit, *confirmavi columnas ejus*: reſurrexi, oſtendi mortem non eſſe metuendam, oſtendi timentibus nec ipſum corpus perire in morientibus. Terruerunt eos vulnera, firmaverunt cicatrices. Poſſet Dominus Jeſus Chriſtus ſine ulla cicatrice reſurgere: quid enim illi poteſtati magnum erat, ad tantam integritatem compagem corporis revocare, ut nullum omnino veſtigium præteriti vulneris appareret? Habebat poteſtatem unde illud etiam ſine cicatrice ſanaret: ſed habere voluit, unde nutantes columnas firmaret. *Enar. in Pſalm*. 74. *n*. 6.

Pro

Pro Festo Inventionis sanctæ Crucis.

Quadruplex Crucis dimensio homini Christiano considerandæ proponitur.

Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ virtute corroborari per spiritum ejus in interiori homine: Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati, ut possitis comprehendere cùm omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* (Eph. 3.) Quid pergis corde homo Christiane, per latitudinem terræ, longitudinem temporum, altitudinem cœli, profunditatem abyssi? Quando ista comprehendis vel mente vel corpore, hoc est, sive cogitando, sive carnis oculis intuendo, quando ista comprehendis? Ipsum audi Apostolum dicentem tibi: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* (Gal. 6.) Et nos in illa gloriemur, vel quia super illam incumbimus. In illa gloriemur omnes, ò boni Fratres, in illa gloriemur. Ibi fortè inveniemus & latitudinem, & longitudinem, & altitudinem, & profundum. His enim Apostoli verbis crux quodammodo nobis ante oculos constituta est. Habet enim latitudinem, in qua manus figuntur: habet longitudinem, quòd inde usque ad terram ducitur lignum: habet & altitudi-

nem, quod ab ipſo tranſverſo, in quo figuntur manus, excedit aliquantùm, ubi caput crucifixi ponitur: habet & profundum, hoc eſt, quod in terra figitur, & non videtur. Ab illo profundo quod non vides, ſurgit totum quod vides.

Crucis Latitudo.

UBi ergo eſt latitudo? Confer te ad vitam moreſque Sanctorum, qui dicunt, Abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti. Invenimus in moribus eorum latitudinem charitatis: unde illos admonet ipſe Apoſtolus, dicens, *Dilatamini, ne ſitis jugum ducentes cum infidelibus.* (2. *Cor.* 6.) Et quia ipſe latus erat, qui eos ad latitudinem exhortabatur, audi quid dicat: *Os noſtrum patet ad vos ò Corinthii; cor noſtrum dilatatum eſt.* (2. *Cor.* 9.) Latitudo ergo Charitas eſt, quæ ſola bene operatur Latitudo facit, ut hilarem datorem diligat Deus. Si enim anguſtiam paſſus fuerit, triſtis dabit: ſi triſtis dabit, perit quod dabit. Opus eſt ergo latitudine charitatis, ne pereat quidquid boni facis. *Serm.* 165. Hanc hilaritatem ſignificat crucis latitudo in tranſverſo ligno, ubi figuntur manus. Per manus enim opera intelligimus, per latitudinem hilaritatem operantis; quia triſtitia facit anguſtias. *Epiſt.* 55. *c.* 14.

Crucis Longitudo.

QUoniam ait Dominus, *Ubi abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum:*

rum: (*Matth.* 24.) da mihi & longitudinem; quæ eſt longitudo? *Qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit*. (*Matth.* 10.) Hæc eſt longitudo crucis, ubi totum corpus porrigitur: ubi quodammodo ſtatur, quo ſtando perſeveratur. Si ergo quæris, qui in cruce gloriaris, habere crucis latitudinem; habeto bene operandi virtutem. Si vis habere crucis longitudinem; habeto perſeverandi longanimitatem. *Ser.* 165. Itaque longitudo, qua totum corpus extenditur, ipſam tolerantiam ſignificat, unde longanimes dicuntur qui tolerant. *Ep.* 55. *Quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum; qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. (*Mat.* 14.) Quis autem perſeverabit uſque in finem, quoaduſque tranſeat iniquitas? Qui fuerit in Chriſti corpore, qui fuerit in membris Chriſti, & à capite didicerit patientiam perſeverandi. Uſque in finem ſæculi nec iniquitas deerit premens, nec juſtitia patiens. *Et in umbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas*: (*Pſ.* 56.) id eſt, tu proteges me, & ut ab æſtu iniquitatis non areſcam, tu umbraculum præbebis mihi. *Enar. in Pſalm.* 56. *n.* 6.

Crucis Altitudo.

SI vis habere crucis altitudinem; noſce quid audias, & ubi audias, Surſum cor. Quid eſt, Surſum cor? Ibi ſpera, ibi ama: inde pete virtutem, ibi expecta mercedem. Nam ſi bene operaris, & hilariter

tribuis, videris habere latitudinem. Si in iisdem bonis operibus usque in finem perseveraveris, videris habere longitudinem. Sed si omnia hæc non propter supernam mercedem facis, altitudinem non habebis, & illa jam nec latitudo erit, nec longitudo. Quid est enim habere altitudinem, nisi cogitare Deum, amare Deum, & gratis amare Deum ipsum adjutorem, ipsum spectatorem, ipsum coronatorem, ipsus præmii largitorem, postremò ipsum præmium deputare, non aliud ab ipso quàm ipsum expectare? Si amas, gratis ama: si verè amas, ipse sit merces quem amas. An tibi cara sunt omnia, & vilis est ille qui condidit omnia? *Serm. 165.*

Crucis Profunditas.

ILlud ex ligno, quod non apparet, quod fixum occultatur: unde totum illud exurgit, profunditatem significat gratuitæ gratiæ: in quo multorum ingenia conteruntur id investigare conantia, ut ad extremum eis dicatur, *O homo tu quis es qui respondeas Deo?* (*Rom. 9.*) *Epist.* 140. *c.* 26. Quare illi datum est, & illi non est datum? Non me piget dicere, hoc est profundum crucis. De profundo nescio quo judiciorum Dei, quæ perscrutari contemplarique non possumus, procedit omne quod possumus. De profunditate, inquam nescio qua judiciorum Dei, quæ inscrutabilia contemplari non possumus, perscrutari non valemus, procedit omne quod pos-

possumus. Quod possum, video: unde possim, non video; nisi quia & hoc hactenus video, quod novi esse à Deo. Quare autem illum & non illum? multum est ad me, abyssus est, profundum crucis est; admiratione exclamare possum, disputatione demonstrare non possum. Quid possum exclamare de ista profunditate? *Quàm magnificata sunt opera tua, Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Ser. 165.*

Pro Festo Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ.

Perpendat Homo Christianus, quanta sit illius sanctitas, quo, ipsius Christi testimonio, inter natos mulierum non surrexit major.

QUia in magno Sacramento natus est Joannes, ipsius solius justè natalem diem celebrat Ecclesia. Et natalis Domini celebratur, sed tamquam Domini. Date mihi alium servum præter Joannem inter Patriarcas, inter Prophetas, inter Apostolos, cujus natalem diem celebret Ecclesia Christi: Passionum diem servis plurimis celebramus: nativitatis diem nemini, nisi Joanni. Audistis quando Euangelium legebatur, qui ordo fuerit amborum nascentium, Præcursoris & Dominatoris, præconis & judicis, vocis & Verbi. Angelus Gabriel nuntiat Joannem, idem ipse Angelus Gabriel nuntiat Dominum Jesum Christum. Precedit ille, sequitur ille: ille

præcedit obſequendo, ſequitur ille regendo. Sequitur enim naſcendo, antecedit regendo: quia & ipſum Joannem creavit Chriſtus, poſt quem creatus eſt Chriſtus, creator & creatus: creator ante matrem, creator matris, creatus in matre. Breviter ergo commendo charitati veſtræ magnum Sacramentum. Quoniam multi futuri erant qui putarent Chriſtum non eſſe niſi hominem, nihil eſſe amplius quàm hominem: ideo magnus homo, quo major in hominibus non fuit, perhibuit ei teſtimonium Joannes, ſubditus, inclinatus, humiliatus. In quantum ſe humilem reddidiſſet, ſi ſolvere corrigiam calceamenti ejus, dignum ſe eſſe dixiſſet? Attendite in magno Sacramento corrigiam calceamenti. Quantùm humilis extitiſſet, & ſi ſe Joannes dixiſſet dignum? Quid fecit, dicendo ſe indignum? Propterea notatus eſt dies Nativitatis ejus, & celebrationi Eccleſiæ commendatus. *Serm.* 290. Accipite humilitatis exemplum. Joannes putatus eſt Chriſtus. Vox verbum putata eſt: ſed agnovit ſe vox, ne offenderet verbum. *Non ſum*, inquit, *Chriſtus, nec Elias, nec Propheta.* (*Joa.* 1.) Putatur Chriſtus, dicit ſe non eſſe quod putatur, nec ad ſuum faſtum errorem aſſumit alienum. Si diceret, Ego ſum Chriſtus; quàm facillimè crederetur, qui antequam diceret, credebatur? Non dixit: agnovit ſe, diſtinxit ſe, humiliavit ſe. Hæc enim diſpoſitio placuit Deo, ut tantæ gratiæ homo teſtimonium perhiberet

Chri-

Christo, qui posset putari Christus. *In natis mulierum*, sicut dixit ipse Christus, *nemo surrexit major Joanne Baptista*. (*Matth.* 11.) Si hoc nomine nullus erat major homo, qui major est illo, plus est quàm homo. Magnum testimonium Christi de seipso. *Serm.* 293. Fuerunt Prophetæ ante Joannem, & multi, & magni, & sancti, digni Deo, Deo pleni, Salvatoris prænuntiatores, veritatis attestatores. Verumtamen de nullo eorum dici potuit, quod dictum est de Joanne, *In natis mulierum nemo exsurrexit major Joanne Baptista*. Meritò dictus est ampliùs quàm Propheta. Hic Propheta, immo amplius quàm Propheta, prænuntiari meruit per Prophetam. De illo namque dixit Isaias, *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*. (*Isa.* 40.) Habes Joannem vocem. Quid habes Christum, nisi Verbum? Vox premittitur, ut Verbum postea intelligatur. Personam gerebat Joannes vocis in Sacramento: nam non ipse solus vox erat. Omnis enim homo annuntiator Verbi, vox Verbi est. Quod enim est sonus oris nostri ad verbum, quod in corde gestamus: hoc omnis anima pia prædicatrix ad illud Verbum, de quo dictum est, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum*. (*Joan.* 1.) Quanta verba, immò quantas voces facit verbum corde conceptum! Quantos prædicatores fecit Verbum

apud Patrem manens! Misit Patriarchas; misit Prophetas, misit tot & tantos prænuntiatores suos. Verbum manens voces misit, & post multas præmissas voces, unum ipsum Verbum venit tamquam in vehiculo suo, in voce sua, in carne sua. Collige ergo tamquam in unum omnes voces, quæ præcesserunt Verbum, & eas omnes constitue in persona Joannis. Harum omnium Sacramentum ille gestabat, harum omnium persona sacrata & mystica ille unus erat. Ideo propriè dictus est vox, tamquam omnium vocum signaculum atque mysterium. *Serm.* 288. Videtur ergo Joannes interjectus quidam limes Testamentorum duorum, veteris & novi. Nam eum esse quodam modo limitem Dominus ipse testatur dicens, *Lex & Prophetæ usque ad Joannem Baptistam*. (*Luc.* 16.) Sustinet ergo personam vetustatis, & præconium novitatis. Propter personam vetustatis, de senibus nascitur: propter personam novitatis, in visceribus matris Propheta declaratur. Nondum enim natus ad sanctæ Mariæ adventum exultavit in utero matris. Jam ibi designatus erat, designatus antequam natus: cujus præcursor esset ostenditur, antequam ab eo videretur. Divina sunt hæc, & mensuram humanæ fragilitatis excedunt. *Serm.* 293.

Pro

Pro Feſto Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli.

In Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo admiretur homo Chriſtianus ſingularem Dei providentiam, qui elegit piſcatorem, ut mundi ſuperbiam confunderet: & Eccleſiæ perſecutorem, ut ſpem veniæ oſtenderet.

PEtri & Pauli Apoſtolorum dies, in quo triumphalem coronam, devicto Diabolo, meruerunt, hodiernus eſt. Laudes audiant à nobis, preces fundant pro nobis: Electus eſt ille ante Domini paſſionem, iſte poſt aſcenſionem. Ordine temporis impares, æternitate felicitatis æquales: ille ex piſcatore, iſte ex perſecutore. In illo infirma mundi electa ſunt, ut confundantur fortia: in iſto abundavit peccatum, ut ſuperabundaret gratia. In utroque magna Dei gratia, atque ejus gloria claruit, qui eorum fecit merita, non invenit. Quid enim aliud demonſtrare dignatus eſt, qui ad regnum primò vocare voluit piſcatores, poſtea vocaturus imperatores, niſi ut *qui gloriatur in Domino glorietur*? (1. *Cor.* 1.) Nam utique nobilium, doctorum, potentum non ſalutem contempſit, quibus ignobiles, imperitos, infirmoſque præpoſuit. Sed niſi priùs eligeretur vilitas infirmorum, non ſanaretur inflatio ſuperborum. Si priùs à Chriſto divites vocarentur, putarent & dicerent non in ſe electam niſi opulentiam, facundiam, eloquentiæ doctrinam, ſcien-

tiæ ſplendorem, nobilitatem, generoſitatem, regalem poteſtatem: atque ita temporalibus & ſæcularibus felicitatibus tumidi, tamquam ipſi priùs Chriſto conferrent quod eſſent, ut eis ille videretur reddere, non donare, quod futuri eſſent gratia Dei, nec intelligerent, nec tenerent. Quantò ergo nunc meliùs, quantò ordinatiùs, priùs erexit de terra inopem, & de ſtercore exaltavit pauperem, ut collocaret eum cum potentibus populi ſui, (*Pſalm.* 112.) ut munus intelligentiæ atque doctrinæ non ſolùm ex Deo eſſet, ſed etiam ex Deo eſſe appareret? Cum quanta itaque lætitia & quanta Dei gloria contuemur ab animo piſcatoris contemni opes imperatoris? fundi preces imperatoris ad Memoriam piſcatoris? ut nec ille ex eo quod non habuit, jaceret nec iſte ex eo quod habuit, ſuberbiret. Jam verò illud quod Paulum ex perſecutore ſuo prædicatorem ſuum Chriſtus operatus eſt, quid valeat ad ſalutem hominum, ne quiſquam magnarum ſibi conſcius iniquitatum de miſericordia Dei debeat deſperare, ipſe potiùs Apoſtolus eloquatur: *Humanus*, inquit, *ſermo, & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum. Sed ideo miſericordiam conſecutus ſum, ut in me primo oſtenderet Chriſtus Jeſus omnem longanimitatem, ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam.* (1. *Tim.* 1.) Quis enim ſub manu Omnipotentis medici de ſalute deſperet tanto informa-

tus exemplo, considerans evangelizantem fidem quam aliquando vastabat, non solùm evasisse pœnam persecutoris, verùm etiam coronam meruisse doctoris, & cujus sanguinem in ejus membris cupiebat sæviendo fundere, pro ejus nomine sum sanguinem credendo fudisse? Habet ergo Roma caput gentium, duo lumina ab illo accensa, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: unum, in quo Deus abjectam exaltavit humilitatem; alterum, in quo damnandam sanavit iniquitatem. In illo discamus non superbire, in isto non desperare. Quàm breviter magna nobis exempla præmissa sunt, quàm salubria, quæ semper commemoremus, & in eorum laude lumen verum magnificemus. Nemo ergo se de hujus sæculi celsitudine extollat: Petrus piscator fuit. Nemo iniquitatem propriam cogitando, misericordiam Dei defugiat: Paulus persecutor fuit. Ille dicit, *Factus est Dominus refugium pauperum*: (*Ps.* 9.) iste dicit *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur*. (*Ps.* 50.) *Serm.* 381.

Pro Festo Visitationis Beatissimæ Virginis Mariæ.

A Maria in domo Zachariæ Dominum magnificante discat Homo Christianus, quantùm & ipse Deum suum magnificare debeat.

AUdiamus, Fratres, audiamus pio mentis affectu, audiamus, quemad-

modum tympaniſtria noſtra doctrinis concrepet Virgo Maria. Audiamus, inquam, & harmoniæ moribus reſpondeamus. Cùm hæc mulier beatiſſima ab Angelo jam ſalutata, Spiritu Sancto repleta, plenitudine Divinitatis afflata, ad domum Eliſabeth veniſſet cognatæ, poſt exultationem Joannis in utero matris, poſt admirationem Eliſabeth de adventu ejuſdem Domini Matris, hoc Domino decantavit canticum laudis, *Magnificat anima mea Dominum; & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*. (*Luc.* 1.) Primò igitur hoc in loco quærendum eſt, quid ſit magnificare Dominum: neque enim magnus fit à creatura Creator. Sed ſciendum nobis eſt, duobus modis dici magnificare, id eſt, aut magnum facere, aut magnum adorare, magnumque admirari. Magnificatur enim Deus à nobis, cùm magnificari dignatur à nobis. Sed nunquid ſic in nobis, ſicut in Maria unde carnem aſſumpſit pro nobis? *Ave*, inquit ad eam Angelus, *gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei*. (*Luc.* 1.) Quæcumque tamen anima ſancta Verbum concipere potes credendo, pare prædicando, magnifica amando. Unde & David Propheta dicit, *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in invicem:* (*Pſ.* 33.) ac ſi diceret, Magnitudinem Domini mecum decantate, prædicate, & nominis ejus præconia magna voce attollite.

te. Hinc iterum dicit: *Domine Deus meus magnificatus es vehementer.* (*Psal.* 101.) Unde autem magnificetur in nobis, idem Propheta dicit: *Magnificata est usque ad cœlos misericordia tua*, (*Psalm.* 107.) Sic namque optandum est, ut in singulis nostra anima magnificet Dominum, concipiat Dei Verbum, pariat & nutriat, recordetur salvationis suæ pia commercia, quomodo nullis suis præcedentibus meritis sit ab iniquitate salvata, sed sola Dei bonitate gratuita Christi sanguine redempta, & dicat, *Magnificat anima mea Dominum*, (*Joan.* 3.) *Sic enim Deus dilexit mundum*, ait Evangelium, *ut Filium suum Unigenitum daret*, (*Rom.* 8.) Hinc & Apostolus, *qui proprio*, inquit, *Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. O miræ pietatis affectus! ò inæstimabilis ardor charitatis! Quis ante tantæ pietatis divitias non obstupescat? Quis ante tam ineffabilem charitatem non contremiscat? Quis umquam posset sperare, ut ex Deo ante tempora natus nasceretur pro hominibus in tempore ex fœmina homo factus? unde scriptum est: *Cùm venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*. Quis, inquam, posset æstimare, ut portaretur manibus fœmineis portator orbis, panis Angelorum aleretur, virtus cœlorum infirmaretur, vita omnium moreretur? Magnificet ergo in

his anima Mariæ Dominum, magnificet & nostra. Admiremur, gratulemur, amemus, laudemus, adoremus, gratias illi agamus, quoniam per eamdem Redemptoris nostri mortem de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, de exilio ad patriam, de luctu ad gaudium, de terris ad cœleste regnum vocati sumus. Quæcumque igitur anima sancta talibus fuerit incitamentis occupata, nihil concupiscit terrenum, nihil transitorium, nihil quod ad tempus arridet, nihil quod ad præsens delectat: quæ risum luctum computat, & gaudium in mœrorem commutat; cui mundus carcer, cœlum verò habitatio est: cui exultatio in præsentibus nulla est, quia in illo tantùm gaudere appetit, qui super omnes est. Unde in sancto cantico, cùm diceret Virgo gloriosa: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus*: signanter addidit, *in Deo salutari meo*; ac si diceret, Anima mea quæ magnificat Dominum, non in quolibet alio, sed in illo tantùm exultat, quem amando magnificat, *Serm. 208. in Append.*

Pro Festo sanctæ Mariæ Magdalenæ.

Sancta Maria Magdalena ad pedes Domini sedens docet Hominem Christianum quærere unum necessarium, & eligere partem optimam.

MArtha Dominum pascere disponens & præparans, circa multum ministerium occupabatur, (*Luc.* 10.) Maria soror ejus pasci à Domino magis elegit. Deseruit quodammodo sororem suam circa multum ministerium laborantem, & sedit ipsa ad pedes Domini, & vacans audiebat verbum ejus. Auris fidelissima audierat: *Vacate, & videte, quoniam ego sum Dominus*, (*Psalm.* 45.) Illa turbabatur, ista epulabatur: illa multa disponebat, ista unum aspiciebat. Utrumque officium bonum: sed tamen quod sit melius, quid nos dicamus? Habemus quem interrogemus, patienter audiamus. Quod sit melius, jam cùm legeretur audivimus, & me commemorante iterum audiamus. Interpellat Martha hospitem, ad judicem deponit postulationem piarum querelarum, quòd eam soror deseruerit, & sic laborantem in ministerio adjuvare neglexerit. Non respondente illa, sed tamen præsente, judicat Dominus. Maria causam suam tamquam otiosa judici maluit committere, nec in respondendo voluit laborare. Si enim pararet respondendi sermonem, remitteret audiendi intentionem. Respon-

dit

dit ergo Dominus, qui in verbo non laborabat, quia Verbum erat. Quid ergo dixit? *Martha, Martha*. Repetitio nominis indicium est dilectionis, aut fortè movendæ intentionis: ut audiret attentiùs, bis vocata est, *Martha, Martha*, audi: *Tu circa multa es occupata; unum autem opus est*: idest, unum necessarium est. Non unum opus quasi singulare opus: sed opus est, expedit, necessarium est, quod unum hoc elegerat Maria. Unum est necessarium, unum illud supernum, unum ubi Pater & Filius & Spiritus Sanctus sunt unum. Videte nobis commendari unitatem. Certè Trinitas est Deus noster. Pater non est Filius, Filius non est Pater, Spiritus Sanctus nec Pater est nec Filius, sed amborum Spiritus: & tamen ista tria non tres Dii, non tres omnipotentes, sed unus Deus omnipotens, ipsa Trinitas unus Deus: quia unum necessarium est. Ad hoc unum non nos perducit, nisi multi habeamus cor unum. Bona sunt ministeria circa pauperes, & maximè circa Sanctos Dei servitia debita, obsequia religiosa. Redduntur enim, non dantur, dicente Apostolo: *Si nos vobis spiritalia seminavimus, magnum est, si carnalia vestra metamus?* (1. *Cor.* 9.) Bona sunt, exhortamur ad hæc, & in verbo Domini ædificamus vos, nolite pigrì esse ad suscipiendos Sanctos. Aliquando nescientes, suscipiendo quos nesciebant, Angelos susceperunt. Bona sunt hæc:
me-

melius eſt tamen quod elegit Maria. Illud enim habet ex neceſſitate occupationem: iſtud autem ex charitate ſuavitatem. Vult homo occurrere quando miniſtrat; & aliquando non poteſt: quæritur quod deeſt, paratur quod adeſt; diſtenditur animus. Nam ſi Martha ad iſta ſufficeret, adjutorium ſororis non poſceret. Multa ſunt, diverſa ſunt, quia carnalia ſunt, quia temporalia ſunt: etſi bona ſunt, tranſitoria ſunt. Marthæ autem quid ait Dominus? *Maria meliorem partem elegit*. Non tu malam, ſed illa meliorem. Audi unde meliorem: *Quæ non auferetur ab ea*. A te auferetur aliquando onus neceſſitatis; æterna eſt dulcedo veritatis. Non auferetur ab ea quod elegit. Non aufertur, ſed tamen augetur. In hac autem vita augetur, in alia vita perficietur, numquam auferetur. Cæterum tu Martha, pace tua dixerim, in bono miniſterio benedicta, pro iſto labore tuo mercedem quæris, quietem. Modò occupata es circa multum miniſterium, paſcere vis mortalia corpora, licèt ſanctorum: numquid cùm veneris ad illam patriam, invenies peregrinum, quem ſuſcipias hoſpitio? invenies eſurientem, cui panem frangas? ſitientem, cui potum porrigas? ægrum, quem viſites? litigantem, quem concordes? mortuum, quem ſepelias? Omnia iſta ibi non erunt: ſed quid ibi erit? Quod Maria elegit: ibi paſcemur, non paſcemus. Ideo hoc ibi erit plenum at-

que perfectum, quod hìc elegit Maria: de illa mensa opulenta, de verbo Domini micas colligebat, *Serm.* 103.

Pro Festo S. Jacobi Apostoli.

A Sancto Jacobo, qui fuit unus ex filiis Zebedæi, discat Homo Christianus ad cœlestem sublimitatem non posse aliter perveniri, quàm per humilitatem.

Filii Zebedæi sedes altissimas quærebant, unus volebat sedere ad dexteram, alter ad sinistram, dicentes per matrem quod ipsi cupiebant, (*Matth.* 22.) Dominus non illis sedes invidit, sed convallem priùs prolationis ostendit, quasi diceret. Illuc vultis venire, ubi sum ego? venite quà ego. Quid est, venite quà ego? Per humilitatem. Ego de sublimi descendi, & humiliatus ascendo: vos in terra inveni, & antè vultis volare quàm pasci: priùs nutrimini, educamini, ferte nidum. Quid enim ait? Quomodo illos revocavit ad humilitatem, jam quærentes altitudinem? *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Et illi, etiam in hoc superbi, *Possumus*. Quomodo Petrus, *Tecum usque ad mortem*, (*Matth.* 26.) Fortis vir, donec fœmina diceret, *Et iste cum illis erat*. Sic & isti, *Possumus*. Et ille, Calicem quidem meum bibetis, etsi modò non potestis, bibetis: quomodo Petro, *Non potes me sequi modò, sequeris me postea*, (*Jo.* 13.) *Calicem quidem meum*

bibe-

bibetis, sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis, (*Matth.* 20.) Quid est, *Non est meum dare vobis?* Non est meum dare superbis. Modò quibus loquor, superbi estis: ideo dixi, *Non est meum dare vobis.* Sed fortè dicerent, Erimus humiles. Non ergo eritis vos: ego, Vobis dixi. Non dixi, Non dabo humilibus: sed, non dabo superbis. Qui autem ex superbo fit humilis, non erit qui erat, *Enar. in Psal.* 103. *Serm.*3. *nu.* 9. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Altitudinem quæritis? Per vallem venitur ad montem. Sedem quæritis claritatis? Priùs bibite calicem humilitatis, *Sermon.* 329. Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium: *Tract.* 104. *in Joan. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde,* (*Matth.* 11.) Quid magister Filius Dei, Sapientia Dei, per quem facta sunt omnia, concionatur? Vocat humanum genus, & dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis, & discite à me.* Putabas fortè dicturam Sapientiam Dei, Discite quomodo cœlos feci, & astra: omnia etiam in me, antequam fierent, numerata erant; quomodo in virtute rationum incommutabilium etiam capilli vestri numerati sunt. Hæc putabas & talia esse dicturam? Non. Sed priùs illud: *Quoniam mitis sum & humilis corde.* Ecce quod capiatis, videte, Fra-

tres,

tres, certè parvum est. Ad magna nos tendimus; parva capiamus, & magni erimus. Vis capere celsitudinem Dei? Cape priùs humilitatem Dei. Dignare esse humilis propter te, quia Deus dignatus est humilis esse propter eumdem te: non enim propter se. Cape ergo humilitatem Christi, disce humilis esse, noli superbire. Confitere infirmitatem tuam, jace patienter ante medicum. Cùm ceperis humilitatem ejus, surgis cum illo: non quasi & ipse surgat secundùm quod Verbum est; sed tu potiùs, ut magis magisque à te capiatur. Intelligebas primò titubanter atque hæsitanter, intelligis postea certiùs & clariùs: non ille crescit, sed tu proficis, & quasi tecum videtur surgere. Sic est, Fratres. Credite præceptis Dei, & facite illa, & donabit vobis robur intelligentiæ. Non præsumatis, & quasi anteponatis scientiam præcepto Dei; ne inferiores, non solidiores remaneatis. Arborem attendite: ima petit priùs, ut sursum excrescat: figit radicem in humili, ut verticem tendat ad cœlum. Numquid nititur nisi ab humilitate? Tu autem sine charitate vis excelsa comprehendere; sine radice auras petis? Ruina est ista, non incrementum. Habitante Christo per fidem in cordibus vestris, in charitate radicamini atque fundamini, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei, *Serm.* 117.

Pro Festo S. Laurentii Martyris.

Homo Christianus potest cum sancto Laurentio Martyre sequi & imitari Christum, etsi martyrii pœnam non patiatur.

BEati Laurentii triumphalem diem, quo calcavit mundum frementem, sprevit blandientem, & in utroque vicit Diabolum persequentem, hodiernum nobis Ecclesia Romana commendat. Quàm gloriosa enim, & quanta virtutum multitudine, quasi florum varietate, distincta Laurentii Martyris sit corona, universa testis est Roma. In ipsa enim Ecclesia Diaconii gerebat officium. Ibi sacrum Christi sanguinem ministravit: ibi pro Christi nomine suum sanguinem fudit. Ad mensam potentis prudenter accesserat. Ad illam mensam, de qua nobis proverbia Salomonis loquuntur, ubi scriptum est: *Si sederis cœnare ad mensam potentis, cognoscens intellige quæ apponuntur tibi; & sic extende manum tuam, sciens quoniam similia te oportet præparare*, (*Prov.* 23.) Hujus cœnæ mysterium B. Apostolus Joannes evidenter expressit, dicens: *Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus animas pro fratribus ponere*, (1. *Joan.* 3.) Intellexit hoc, Fratres, sanctus Laurentius; intellexit, ac fecit: & prorsus qualia sumpsit in illa mensa, talia præparavit. Amavit Christum in vita sua, imitatus est eum in morte sua. Et nos ergo, Fratres, si veraci-

raciter amamus, imitemur. Non enim meliorem reddere poterimus dilectionis fructum, quàm imitationis exemplum: *Christus* enim *pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus*, (1. *Pet.* 2.) In hac sententia vidisse videtur Apostolus Petrus, quòd pro his tantùm passus est Christus, qui sequuntur vestigia ejus, neque prosit quidquam Christi Passio, nisi illis qui sequuntur vestigia. Secuti sunt eum Martyres sancti, usque ad effusionem cruoris, usque ad similitudinem passionis: secuti sunt Martyres, sed non soli. Non enim postquam illi transierunt, pons incisus est; aut postquam ipsi biberunt, fons ipse siccatus est. Quæ est enim spes fidelium bonorum, qui vel sub fœdere conjugali jugum matrimonii castè & concorditer ducunt, vel sub continentia viduali domant carnis illecebras, vel etiam sanctitatis apicem celsiùs erigentes & in nova virginitate florentes sequuntur agnum quocumque ierit? Quæ istis, inquam, quæ nobis omnibus spes est, si non sequuntur Christum, nisi qui pro ipso sanguinem fundunt? Perditura est ergo filios suos, quos tantò fœcundiùs, quantò securiùs tempore pacis enixa est mater Ecclesia? Quos ne perdat, oranda est persecutio, oranda tentatio? Absit, Fratres. Quomodo enim potest orare persecutionem, qui quotidie clamat: *Ne nos inferas in tentationem*? (*Matth.* 6.) Habet, habet, Fratres, habet hortus ille dominicus, non solùm rosas Mar-

tyrum,

tyrum, ſed & lilia Virginum, & conjugatorum hederas, violaſque viduarum. Prorſus, Dilectiſſimi, nullum genus hominum de ſua vocatione deſperet: pro omnibus paſſus eſt Chriſtus. Veraciter de illo ſcriptum eſt: *Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire,* (1. *Tim.* 2.) Intelligamus ergo præter effuſionem cruoris, præter periculum paſſionis, quomodo Chriſtum debeat ſequi Chriſtianus, *Serm.* 304. Crux Domini non tantùm illa dicitur, quæ paſſionis tempore ligni affixione conſtruitur; ſed & illa quæ totius vitæ curriculo cunctarum diſciplinarum virtutibus coaptatur. De qua mihi videtur Salvator dicere: *Qui vult poſt me venire, tollat crucem ſuam, & ſequatur me,* (*Matth.* 16.) Nunquid enim omnes Martyres, qui ſecuti ſunt Dominum, crucifixi ſunt cum Domino? Nunquid omnes Virgines, qui juxta Apocalypſim ſequuntur Agnum Dei, crucifixi ſunt, ut ſequantur? (*Apoc.* 14.) Nunquid Paulus Apoſtolus crucifixus fuerat cùm dicebat, *mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo?* (*Gal.* 6.) Hoc autem dicit, ut intelligas crucem non ligni eſſe patibulum, ſed vitæ virtutiſque propoſitum. Tota igitur vita Chriſtiani hominis, ſi ſecundùm Evangelium vivat, crux etſi atque martyrium, *Serm.* 207. *in Append.* Videtis certè, Dilectiſſimi, quia præter effuſionem cruoris, præter vincula & carceres,

ceres, præter flagella & ungulas, sunt multa in quibus sequi possumus Christum. Quidquid delectabile de temporalibus rebus mundus ingesserit, respuatur: quidquid infremuerit asperum atque terribile, contemnatur. Et qui sic agit, non dubitet Christi se cohærere vestigiis, ut meritò dicere audeat cum Apostolo Paulo: *Conversatio nostra in cœlis est*, (*Phil.* 3.) Sed tunc potest in istis esse virtus invicta, si non sit charitas ficta. Ille ergo dat nobis veram virtutem, qui diffundit in nostris cordibus charitatem. Quando autem Beatus Laurentius appositos extrinsecùs ignes non timeret, nisi intus flammà charitatis arderet? Ideò, Fratres mei, gloriosus Martyr atroces incendiorum flammas non pertimescebat in corpore, quia ardentissimo cœlestium gaudiorum desiderio flagrabat in mente. In comparatione fervoris, quo pectus ejus ardebat, exterior persecutorum flamma frigebat. Quando enim ferret tantorum aculeos dolorum, nisi æternorum diligeret gaudia præmiorum? Postremò quando contemneret istam vitam, nisi amando meliorem vitam? *Et quis nocere vobis potest*, ait Apostolus Petrus; *quis*, inquit, *nocere vobis potest*, *si boni amatores fueritis*? (1. *Pet.* 3.) Faciat in te licèt persecutor malum: tu ne deficias amando bonum. Si enim verè quod bonum est, toto corde dilexeris, omne malum patienter, & æquanimiter sustinebis. Quid enim Beato Laurentio

illa,

illa, quæ à persecutoribus illata sunt, tormenta nocuerunt? nisi quòd eum clariorem ipsis suppliciis reddiderunt, & hunc nobis festivissimum diem de pretiosa ejus morte fecerunt, *Serm.* 304.

Pro Festo Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ.

Quantùm homo Christianus assumptæ in cœlos Virgini applaudere, ejusque patrocinia implorare debeat.

ADest nobis, Dilectissimi Fratres, dies valde venerabilis, dies omnium Sanctorum solemnitate præcellens. Adest, inquam, dies inclyta, dies præclara, dies in quà è mundo migrasse creditur Virgo Maria. Et ideò cum summa exultatione laudes intonet universa terra tantæ Virginis illustrata excessu; quia indignum valdè est, ut illius recordationis solemnitas sit apud nos sine maximo honore, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere: satisque præposterum judicandum est, ut cùm sanctorum celebremus victorias Martyrum, illius solemnitatem illis non præferamus, quæ huic mundo edidit Principem Martyrum. In hac siquidem die competenter Sponso illi cœlesti proclamat Beata Virgo Maria: *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria assumpsisti me*, (*Ps.* 72.) Hodie, inquam, & ipsa à Sponso filio & Domino congruè audivit: *Jam hyems transiit, im-*

ber abiit & recessit, surge proxima mea, sponsa mea, columba mea, & veni, (*Cantic.* 2.) Loquamur aliquid in laudibus sacratissimæ Virginis. Sed quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in ejus laudibus referemus, cùm etsi omnium nostrùm membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus? Altior enim cœlo est, de qua loquimur, abysso profundior, cui laudes dicere conamur. Deum enim quem omnis creatura non capit, ipsa immaculato utero clausum gestavit. Hæc est enim quæ sola meruit Mater & Sponsa vocari: hæc primæ matris damna resolvit, hæc homini perdito redemptionem adduxit. Mater enim generis nostri pœnam intulit mundo; Genitrix Domini nostri salutem edidit mundo. Auctrix peccati Eva; auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit; Maria vivificando profuit. Illa percussit; ista sanavit. Hæc enim mirabili atque inæstimabili modo omnium rerum & suum peperit Salvatorem. Quæ enim hæc Virgo tam sancta, ad quam venire dignaretur Spiritus Sanctus? Quæ tam speciosa, ut eam sibi Deus eligeret Sponsam? Quæ tam casta, ut esse posset virgo post partum? Hæc est Dei templum, fons ille signatus, & porta in domo Domini clausa. Ad hanc namque Spiritus Sanctus descendit, huic virtus Altissimi obumbravit. Hæc est immaculata coitu, fœcunda partu, virgo lactans, Angelorum & hominum cibum nutriens. Meritò itaque Beata singu-

ſingulari à nobis præconio extollitur, quæ ſingulare commercium mundo præbuit. Denique tantum ſe ad cœli faſtigia ſublevavit, ut Verbum in principio apud Deum de ſuperna cœli arce ſuſciperet. O felix Maria, & omni laude digniſſima! O Genitrix glorioſa! O ſublimis puerpera, cujus viſceribus auctor cœli terræque committitur! O felicia oſcula lactentis labris impreſſa, cùm inter crebra indicia reptantis infantiæ, utpotè verus ex te filius tibi matri alluderet; cùm verus ex Patre Deus Dei Unigenitus imperaret! Nam auctorem tuum ipſa concipiens edidiſti in tempore puberem, quem habebas ante tempora conditorem. O felix puerperium, lætabile Angelis, optabile Sanctis, neceſſarium perditis, congruum profligatis! Qui poſt multas aſſumptæ carnis injurias, ad ultimum verberatus flagris, potatus felle, affixus patibulo, ut te veram matrem oſtenderet, verum ſe hominem patiendo monſtravit. Sed quid dicam pauper ingenio; cùm de te quidquid dixero, minor laus eſt, quàm dignitas tua meretur? Si cœlum te vocem, altior es. Si matrem gentium dicam, præcedis. Si formam Dei appellem, digna exiſtis. Si dominam Angelorum vocitem, per omnia eſſe probaris. Quid ergo de te dignè dicam, quid referam; cùm non ſufficiat lingua carnis tuas enarrare virtutes? Has interim laudes ſileat lingua carnis, quas ſemper ardenter intus profert animus. Inter hæc igitur, Fratres chariſſimi,

cum toto mentis affectu Beatissimæ Virginis nos intercessionibus committamus, omnes ejus patrocinia omni nisu imploremus: ut dum nos supplici eam obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece commendare dignetur in cœlis. Neq; enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus Sanctis omnibus, liberatis impendere suffragium, *Serm. 208. in Append.*

Pro Festo S. Bartholomæi Apostoli.

Perpendat Homo Christianus quanta nobis bona per sanctos Apostolos, Patres ac Principes nostros, sint collata.

SI omnium sanctorum Martyrum grata nobis debet esse solemnitas, Fratres charissimi, quantò gratior eorum, qui præsentem secuti sunt Principem Martyrum? Si agnorum, quanto magis arietum? Illorum enim filii non generatione carnis, sed imitatione virtutis facti sunt omnes, qui posteriùs usque ad mortem confessi sunt Christum. Hos obtulerunt populi gentium, de quibus Psalmus antè cantavit, dicens: *Afferte Domino filios arietum*, (*Psal.* 28.) His primùm Dominus, cùm ad confessionem sui nominis hortaretur, non solùm se promisit victoriæ coronatorem, sed & certaminis adjutorem: etiam in ipsis & posteros admonebat, quoniam quod dicebat, scriptum posteris relinquebat. Illis ergo ait exhortans eos: *Cùm autem*

tem adducent vos ad principes & potestates, nolite cogitare quid respondeatis, vel quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, (*Math.* 10.) Meditari vetuit, & confiteri præcepit. Maluit enim auferre præsumptionem humanam, & gratiam dare divinam; ut in semetipsis timidi, & mundo essent audaces. Unde & in alio Psalmo vox Martyrum dicit, quasi ex parte fragilitatis humanæ verendo: *Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me,* (*Ps.* 58.) & paulò post de auxilio divino confidens dicit: *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Supra cæteras enim turbas fidelium, nec non antiquorum justorum & Prophetarum eminentes Apostolos suos volens Dominus ostendere, dixit ad eos: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis, & aures, quæ audiunt, quæ vos auditis: multi enim Prophetæ & justi voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt; & audire, quæ auditis, & non audierunt,* (*Matth.* 13.) Isti sunt lux mundi quia per ipsos lumen fidei & veræ scientiæ primùm Dominus huic mundo tradidit, & ab errorum ac peccatorum tenebris gentes & populos eruit. Isti sunt sal terræ; quia per eos terrigenæ condimentum saporis vitæ æternæ perceperunt, ut restringerent carnis lasciviam, & à putredine peccatorum & vitiorum vermibus servarentur illæsi. Isti sunt lapides pretiosi, quos in fundamen-

to cœleſtis ædificii poſitos Joannes in Apocalypſi ſua deſcribit; quia prædicatio eorum Eccleſiæ fundamenta locavit. Unde & Paulus ait: *Vos eſtis cives Sanctorum & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*, (*Apoc.* 21.) Iſti ſunt duodecim portæ Jeruſalem novæ, quæ de cœlo deſcendit; quia per ipſos januam fidei primùm intravimus, & inter cives Sanctorum annumerati ſumus. Hìc ergo conſiderantes; Fratres chariſſimi, quæ tanti duces populi nos docuerunt, ſtudeamus factis implere quæ illi juſſerunt. Diſcamus eorum exemplo mundi divitias contemnere, præſentis ſæculi voluptatem non amare, regnum cœleſte deſiderare, Chriſto nihil præponere: ſed ejus mandatis in omnibus obedire, paupertatem præſentium rerum diligere, virtutum divitias habere, ſapientiæ theſaurum appetere, ſpiritales delicias quærere, nulli invidere, ſed omnes homines diligere: amicos in Deo, & inimicos propter Deum; quia hæc eſt vera & ſola dilectio. Nam amor carnalis, & vitioſus in præcipitium trahit, & comparabitur odio: unde ſcriptum eſt: *Qui vult amicus eſſe hujus ſæculi, inimicus Dei conſtituitur*, (*Jac.* 4.) Iſti ergo Principes noſtri in amore Dei perfectiſſimi, & in proximorum dilectione repleti, hinc potuerunt mundi impetum vincere, & cruentum ſæculum domare; quia nihil amaverunt in omni re, niſi Dei voluntatem.

Ita & nos, Fratres, diligamus in omnibus rebus Dei facere voluntatem, & Creatorem nostrum amemus in semetipso, creaturam verò in conditore suo: & sic habebimus ordinatissimam charitatem, quia *Deus charitas est*, & qui diligit hanc dilectionem, diligit Deum. Etsi ita dilexerimus, diligit nos ipse Deus, diligunt nos & sancti Apostoli judices nostri, & exorant pro nobis, ut in universali judicio Christi cum ipsis in perpetuum coronemur, *Serm.* 222. *in Append.*

Pro Festo Nativitatis Beatissimæ Virginis Mariæ.

Quanta sit dignitas & excellentia divinæ Maternitatis, ad quam Virgo hodie nata jam ab æterno destinata erat.

Dominus noster Jesus Christus divinitatem secum attulit, mortalitatem autem à nobis assumpsit. Hanc accepit in utero Virginis Mariæ, conjungens seipsum Verbum Dei humanæ naturæ, tamquam sponsus sponsæ in thalamo virginali, ut ipse tanquam sponsus procederet de thalamo suo, *Serm.* 361. Concipit Virgo virilis ignara consortii: impletur uterus nullo libatus amplexu: sed quod Spiritu Sancto castus venter excipit, pura membra servaverunt. Videte miraculum Matris Dominicæ. Virgo concipit, Virgo parturit, Virgo post partum permansit. Gloriosa virginitas, & præclara foecunditas. Virtus mundi nasci-

tur, & nullus gemitus parturientis sentitur. Vacuatur uterus, infans excipitur, nec tamen virginitas violatur. Dignum enim erat, ut Deo nascente meritum cresceret castitatis; nec per ejus adventum violarentur integra, qui venerat sanare corrupta; vel per eum pudicitia corporalis læderetur, per quem donatur castitas spiritalis, *Serm.* 194. Peperit Maria Salvatorem, conjugata conjugii creatorem, Virgo virginum principem; & data marito, & Mater non de marito; Virgo ante conjugium, Virgo in conjugio; Virgo prægnans, Virgo lactans. Sanctæ quippe Matri omnipotens Filius nullo modo virginitatem natus abstulit, quam nasciturus elegit. Bona est enim fœcunditas in conjugio, sed melior est integritas in sanctimonio. Homo igitur Christus qui utrumque præstare posset ut Deus (idem namque homo, idem Deus) numquam sic daret Matri bonum, quod conjuges diligunt, ut auferret melius, propter quod virgines matres esse contemnunt, *Serm.* 188. Absit ut in ea terra, hoc est, in ea carne, unde orta est veritas, periret integritas. Nempe post resurrectionem suam, cùm spiritus putaretur esse, non corpus: *Palpate*, inquit, *& videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Et tamen illius juvenilis corporis soliditas, non patentibus foribus se ad discipulos intromisit. Cur ergo qui potuit per clausa ostia magnus intrare, non potuit etiam per incorrupta membra par-

vus

vus exire? Sed neque hoc, neque illud volunt credere increduli. Ideò potiùs fides utrumque credit; quia infidelitas utrumque non credit. Ipsa est quippe infidelitas, cui nulla in Christo videtur esse divinitas. Porrò si fides Deum natum credit in carne, Deo non dubitat utrumque possibile; ut & corpus majoris ætatis non reserato aditu domus, intus positis præsentaret, & sponsus infans de thalamo suo, hoc est utero Virginali, illæsa Matris virginitate procederet. Illic namque Unigenitus Dei Filius humanam sibi dignatus est conjungere naturam, ut sibi capiti immaculato immaculatam consociaret Ecclesiam, quam Paulus Apostolus virginem vocat, non solas in ea considerans etiam corpore virgines, sed incorruptas omnium desiderans mentes: *Desponsavi enim vos*, inquit, *uni viro, virginem castam exhibere Christo*, (2. *Cor.* 11.) Ecclesia ergo imitans Domini sui Matrem, quoniam corpore non potuit, mente tamen & mater est & virgo. Nullo itaque modo virginitatem Matri suæ nascendo Christus ademit, qui Ecclesiam suam de fornicatione Dæmonum redimendo virginem fecit. Ex cujus incorrupta virginitate procreatæ virgines sanctæ, quæ terrenas nuptias contemnentes, esse etiam carne virgines elegistis, gaudentes (*recolite*) Virginis partum. Ille quippe est natus ex fœmina, qui non est à masculo satus in fœmina. Qui vobis attulit quod amaretis, matri non abstu-

lit quod amatis. Qui ſanat in vobis, quod traxiſtis ex Eva, abſit ut vitiaret quod dilexiſtis in Maria. Illa igitur cujus veſtigia ſectamini, & ut conciperet cum viro non manſit; cùm pareret, Virgo permanſit. Imitamini eam quantum poteſtis; non fœcunditate, quia hoc non poteſtis ſalva virginitate. Sola utrumque potuit, quorum vos unum habere voluiſtis; quia hoc perditis, ſi utrumque habere velitis. Sola utrumque potuit, quæ omnipotentem peperit, per quem potuit. Solum enim unicum Dei Filium, iſto unico modo fieri oportebat hominis Filium, *Serm.* 191. Nobilitas fuit naſcentis in virginitate parientis, & nobilitas parientis in divinitate naſcentis, *Serm.* 200.

Pro Feſto Exaltationis S. Crucis.

Crux trophæum eſt triumphantis Chriſti, ac vexillum pugnantis Chriſtiani.

CHriſtus eo ipſo quo videbatur victus, vicit orbem terrarum. Vicit enim orbem terrarum, ſicut videmus, Fratres: ſubjecit omnes poteſtates, ſubjugavit reges, non ſuperbo milite, ſed irriſa cruce; non ſæviens ferro, ſed pendens ligno patiendo corporaliter, faciendo ſpiritaliter. Illius corpus erigebatur in cruce: ille mentes cruci ſubdebat. Denique quæ gemma pretioſior in diademate, quàm Crux Chriſti regnantium in fronte? *Serm.* 51. Quia ipſe honoraturus erat fideles ſuos in fine hujus ſæculi,

culi,

culi, priùs honoravit crucem ſuam in hoc ſæculo; ut terrarum principes credentes in eum prohiberent aliquem nocentium crucifigi: & quod cum magna inſultatione perſecutores Judæi Domino procurarunt, magna fiducia ſervi ejus, etiam reges in fronte nunc portant, *Serm.* 88. Attende gloriam Crucis ipſius. Jam in fronte regum crux illa fixa eſt, cui inimici inſultaverunt. Effectus probavit virtutem: domuit orbem, non ferro, ſed ligno, *Enar. in Pſ.* 54. *num.* 12. Jam tenentes ſceptrum ſubduntur ligno crucis: jam fit quod prædictum eſt: *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſervient illi*, (*Pſalm.* 71.) Jam in frontibus regum pretioſius eſt ſignum Crucis, quàm gemma diadematis, *Enar. in Pſal.* 73. *n.* 6. Quò nondum porrectum eſt Romanum imperium, jam Chriſtus poſſidet: quod adhuc clauſum eſt eis qui ferro pugnant, non eſt clauſum illi qui ligno pugnat. Dominus enim regnavit à ligno. Quis eſt qui ligno pugnat? Chriſtus. De cruce ſua vicit reges, & ſubjugatis ipſam crucem in fronte fixit; & gloriantur de illa quia ibi eſt ſalus eorum, *Enar. in Pſ.* 95. *n.* 2. Antea Crux nomen condemnationis erat, nunc verò facta eſt res honoris: priùs in damnatione maledicti ſtabat, nunc in occaſione ſalutis erecta eſt. Hæc enim crux innumerabilium nobis bonorum extitit cauſa: hæc nos de erroribus liberavit, hæc nos ſedentes in tenebris illuminavit, hæc nos à Diabolo expugnatore reconciliavit

Deo, & ex alienatis restituit in domesticos, de longinquis proximos fecit, de peregrinis reddidit cives. Hæc est enim inimicitiarum interemptio, pacis firmamentum, & omnium nobis bonorum thesaurus. Propter hanc jam non erramus in solitudinibus; viam enim veritatis agnovimus: nec jam extra regnum sumus; januam enim regis intravimus: jam ignitas Diaboli sagittas non timemus; fontem enim vitæ, quo extinguerentur, invenimus. Propter hanc jam in viduitate non sumus; sponsum enim recepimus: non expavescimus lupum; quia bonum pastorem invenimus: dicit enim: *Ego sum Pastor bonus*, (*Joan.* 10.) Propter hanc non formidamus tyrannum; regi enim adhæremus, *Serm.* 155. *in Append.* Quid dulcius, quid suavius vel cogitari, vel dici potest, quàm sanctæ Crucis mysterium, per quam non solùm ab inferis revocari, sed etiam in cœlos elevari meruimus? *Serm.* 32. *in Append.* Crux illa fidelibus non est opprobrium, sed triumphus. Crux illa vexillum nostrum est contra adversarium nostrum Diabolum: pugnavit enim Rex noster pro nobis contra adversarium nostrum, *L.* 4. *de Symb. ad Catechum. cap.* 5. Crucifixus noster à morte surrexit, cœlos ascendit, crucem nobis in memoriam suæ passionis reliquit, crucem reliquit ad sanitatem. Hoc signo Dæmones fugantur, hoc antidoto sanitates perficiuntur. Hoc signum præsidium est amicis, obstaculum inimicis.

Qui

Qui hoc mare magnum & ſpatioſum, in quo ſunt reptilia quorum non eſt numerus, abſque naufragio tranſire deſiderat, crucem ſequatur, crucem teneat, & eam non deſerat, donec ad optatum ſalutis portum perveniat. Hæc curſum noſtrum dirigit, hæc ad agonem nos inſtruit, hæc in luctamine adjuvat, hæc ad victoriam provehit, hæc ad coronam pervehit, hæc maleficia deſtruit, & omnia Dæmonum machinamenta ad nihilum redigit: & quod faciebat in terris corporalis Chriſti præſentia, hoc facit cum fideli invocatione nominis Chriſti victorioſæ crucis inſignita memoria. *Serm. 247. in Append.*

Pro Feſto ſancti Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ.

Conſideret homo Chriſtianus ſanctos Apoſtolos cœlos eſſe, qui nobis enarraverunt gloriam Dei.

NOn ſine cauſa dictum eſt, *Cœli enarrant gloriam Dei.* (*Pſ.* 18.) Apoſtoli enim facti ſunt cœlum. Unde facti ſunt cœlum? Quia juſtificati. Quomodo peccator factus eſt terra, cui dictum eſt, *Terra es, & in terram ibis:* (*Gen.* 3.) ſic juſtificati facti ſunt cœlum. Portaverunt Deum, & de ipſis Deus coruſcabat miracula, tonabat terrores, pluebat conſolationes. *Enar. in Pſalm.* 121. *num.* 9. Cùm dictum eſſet, *Miſericordia Domini plena eſt terra.* (*Pſalm.* 32.) quaſi quæreres, Unde

de impleta eſt terra miſericordia Domini? Priùs miſſi ſunt cœli, qui miſericordiam Domini ſpargerent ſuper terram, & hoc ſuper totam terram. Nam vide quid de ipſis cœlis alibi dicitur: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum*. Quod cœli, hoc firmamentum. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti annuntiat ſcientiam*. Non ceſſatur, non tacetur. Sed ubi prædicaverunt, & quòuſque pervenerunt? *Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum*. (*Act.* 2.) Sed hoc pertinet ad id, quia omnium linguis locuti ſunt in uno loco. Omnium linguis locuti impleverunt quod dictum eſt, *Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum*. Sed quæro, ipſa vox in omnibus linguis quòuſque pervenerit, quæ impleverit. Audi ergo quod ſequitur, *In omnem terram exiit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Quorum, niſi cœlorum qui enarrant gloriam Dei? Ergo ſi in omnem terram exiit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, quid prædicaverint nobis, indicet nobis qui illos miſit. Indicat planè, fideliter indicat: quia & antequam fierent prædixit futura ille, cujus omnia opera in fide. Reſurrexit enim à mortuis, & contrectatis membris ſuis agnitus à diſcipulis ſuis, ait, *Oportebat pati Chriſtum, & reſurgere à mortuis, tertio die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum*. (*Luc.* 24.) Unde & quò-

quòusque? *Per omnes Gentes*, ait, *incipientibus ab Jerusalem*. Quam misericordiam verò omnes expectamus, Fratres, uberiorem à Domino, nisi ut peccata nostra dimittantur? Cùm ergo ea sit magna misericordia Domini remissio peccatorum, & hanc remissionem peccatorum prædixit Dominus prædicari per omnes gentes, *Misericordia Domini plena est terra*. Unde plena est terra? Misericordia Domini. Quare? Quia ubique dimittit peccata Deus, quia misit cœlos, qui terram compluerent. Et quomodo ausi sunt ipsi cœli ire cum fiducia, ex hominibus infirmis cœli fieri, nisi quia *Verbo Domini cœli solidati sunt*? Unde enim haberent tantam virtutem oves inter lupos, nisi quia *Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*? (*Matth.* 10.) *Ecce*, inquit, *mitto vos sicut oves in medio luporum*. O Domine misericordissime! Certè hoc facis, ut misericordia tua plena sit terra. Si ergo ita es misericors, ut impleas terram misericordia, vide quos mittis, vide quò mittis. Quò, inquam, mittis, & quos mittis? oves in medium luporum. Unus lupus si mittatur in medium innumerabilium ovium, quis ei resistit? Quid non conturbat, nisi fortè quia citò satiatur? Nam omnia devoraret. Mittis infirmos inter sævos? Mitto, inquit, quia cœli fiunt ut terram compluant. Unde cœli homines infirmi? Sed *Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Ecce lupi tenebunt vos, & tradent vos, & offerent potestatibus propter

no-

nomen meum. Jam vos armate vos. Virtute vestra? absit. *Nolite cogitare quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis:* quia *Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Enar. 3. in Psalm. 32. n. 7. & 8.* Et tu si vis, cœlum eris. Vis esse cœlum? Purga de corde tuo terram. Si terrenas concupiscentias non habueris, & non frustra responderis sursum te habere cor; cœlum eris. *Si resurrexistis cum Christo* (fidelibus Apostolus loquitur) *quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* (*Col. 3.*) Cœpisti sapere quæ sursum sunt, & non quæ super terram sunt: nonne factus es cœlum? Carnem portas, & corde jam cœlum es: conversatio enim tua in cœlis erit. Talis annuntias & tu Christum. Quis enim fidelium tacet Christum? *Enar. in Psalm. 96. num. 10.*

Pro Festo S. Michaelis Archangeli.

Consideret Homo Christianus sanctos Angelos adjuvare nos in hac mortali vita, ut ad illorum societatem feliciter perveniamus.

S*Itivit tibi anima mea, quàm multipliciter tibi & caro mea.* (*Psal. 62.*) Parum est, quia sitivit anima mea, sitivit & caro mea. Puta si anima sitit Deo, quomodo & caro sitit Deo? Quando enim caro sitit, aquam sitit: quando anima sitit,

fon-

fontem sapientiæ sitit. De ipso fonte inebriabuntur animæ nostræ, sicut dicit alius Psalmus, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente deliciarum tuarum potabis eos.* (*Psalm.* 35.) Sitienda est ergo sapientia, sitienda est justitia. Non ea satiabimur, non ea implebimur, nisi cùm fuerit finita vita ista, & venerimus ad illud quod promisit Deus. (*Luc.* 20.) Promisit enim Deus æqualitatem Angelorum: & modò Angeli non sitiunt quomodo nos, non esuriunt, quomodo nos; sed habent saginam veritatis, lucis, immortalis sapientiæ. Ideo beati sunt, & de tanta beatitudine, quia in illa sunt civitate Jerusalem cœlesti, unde nos modò peregrinamur, attendunt nos peregrinos, & miserantur nos, & jussu Domini auxiliantur nobis, ut ad illam patriam communem aliquando redeamus, & ibi cum illis fonte dominico veritatis & æternitatis aliquando saturemur. *Enar. in Psal.* 62. *nu.* 6. Meritò illi in cœlestibus sedibus constituti, immortales & beati, qui Creatoris sui participatione congaudent, cujus æternitate firmi, cujus veritate certi, cujus munere sancti sunt; quoniam nos mortales & miseros, ut immortales beatique simus, misericorditer diligunt, nolunt nos sibi sacrificare; sed ei, cujus & ipsi nobiscum sacrificium se esse noverunt. Cum ipsis enim sumus una civitas Dei, cui dicitur in Psalmo, *Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei:* (*Psalm.* 86.) cujus pars

in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur. *L. 10. de Civit. Dei, cap. 7.* Utraque una erit consortio æternitatis, & nunc una est vinculo charitatis. *In Enchyr. cap. 56.* Ecclesia deorsum, & Ecclesia sursum: Ecclesia deorsum in omnibus fidelibus, Ecclesia sursum in omnibus Angelis. Sed descendit ad Ecclesiam deorsum Dominus Angelorum, & ei Angeli in terra ministraverunt ministranti nobis. (*Matth. 4.*) *Non enim veni*, inquit, *ministrari, sed ministrare.* (*Matth. 20.*) Quid nobis ministravit, nisi quod hodieque manducamus & bibimus? Cùm ergo Dominus Angelorum nobis ministravit, non desperemus nos futuros æquales Angelis. Major enim Angelis descendit ad hominem, & Creator Angelorum suscepit hominem Dominus Angelorum mortuus est pro homine. *Enar. in Psal. 137. num. 4.*

Pro Festo Sanctorum Apostolorum Simonis & Judæ.

Sancti Apostoli docent Hominem Christianum, quamcumque terrenam felicitatem propter Christum contemnendam esse.

QUi morte mortem destruxit, ligno pependit, sanguinem fudit, mundum redemit. Primi beati Apostoli arietes gregis sancti, ipsum Dominum Jesum viderunt pendentem, doluerunt morientem, expaverunt resurgentem, amaverunt poten-

tentem, & ipsi sanguinem fuderunt pro eo quod viderunt. Cogitate, Fratres, quale fuit mitti homines per orbem terrarum, prædicare hominem mortuum resurrexisse, in cœlum ascendisse, & pro ista prædicatione perpeti omnia quæ insaniens mundus inferret, damna, exilia, vincula, tormenta, flammas, bestias, cruces, mortes. Hoc pro nescio quo? Numquid enim, Fratres mei, Petrus pro sua gloria moriebatur, aut seipsum prædicabat? Alius moriebatur, ut alius honoraretur, alius occidebatur, ut alius coleretur. Numquid hoc faceret, nisi flagrantia charitatis, de conscientia veritatis? Viderant quod dicebant: nam quando pro ea re morerentur, quam non viderant? Quod viderant, negare debebant? Non negaverunt: prædicaverunt mortuum, quem sciebant vivum. Sciebant pro qua vita contemnerent vitam: sciebant pro qua felicitate ferrent transitoriam infelicitatem, pro quibus præmiis ista damna contemnerent. Fides eorum cum toto mundo non appenderetur. Audierant, *Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur?* (*Matth.* 16.) Non retardavit illecebra sæculi festinantes, transitura migrantes, quantumlibet & quomodolibet fulgens felicitas hìc dimittenda, ad aliam vitam non transferenda, aliquando hìc & à viventibus relinquenda. Contemnite ergo sæculum Christiani, contemnite sæculum, contemnite. Contempserunt Marty-

res,

res, contempſerunt Apoſtoli. *Serm.* 311. Nemo ſe credat aliquam felicitatem aut aliquod verum ſolatium in hoc ſæculo poſſidere. Beatitudo hìc parari poteſt, poſſideri non poteſt. Duo ſibi tempora ordine ſuo ſuccedunt, tempus flendi, & tempus ridendi. Nemo ſe circumveniat, Fratres, non eſt in hoc mundo tempus ridendi. Scio, Fratres, quod omnis homo gaudere deſiderat: ſed non toti ibi quærunt gaudium, ubi oportet inquiri. Verum gaudium in hoc mundo nec fuit, nec eſt, nec eſſe poterit: ſic enim ipſe Dominus in Euangelio ſuos diſcipulos admonuit, dicens, *In mundo preſſuram habebitis:* (*Joa.* 16.) & iterum, *Mundus gaudebit, vos autem triſtes eritis; ſed triſtitia veſtra convertetur in gaudium.* Ac ſic in hac vita cum labore & dolore quod bonum eſt, auxiliante Domino, faciamus: ut in futuro ſæculo bonorum fructus colligere cum gaudio & exultatione poſſimus: ſecundùm illud, *Qui ſeminant in lacrymis, in gaudio metent.* (*Pſalm.* 125.) In hunc itaque, Fratres chariſſimi, mundum per peccatum primi hominis de beata paradiſi ſede projecti, & quaſi in exilium miſſi ſumus, ac ſic in hoc ſæculo patriam non habemus. Sic & Apoſtolus dicit, *Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino.* (2. *Cor.* 3.) Non ergo requiramus gaudium in hoc mundo; quia, ſicut ſuprà dictum eſt, verum gaudium comparari hìc poteſt, poſſideri non poteſt. Non quæras in via, quod ti-

bi ſervatur in patria. Et quia contra Diabolum, Chriſto duce, quotidie tibi pugnare neceſſe eſt; præmium non requiras in prælio, quod tibi ſervatur in regno. Non quæras in pugna, quod tibi ſervatur in futuro, cùm fuerit perfecta victoria: magis illud attende quod Apoſtolus dicit, (2. *Tim.* 3.) *Omnes qui volunt piè vivere in Chriſto, perſecutionem patiuntur:* & iterum, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* (*Act.* 14.) Ita ergo agere debemus, ut ad principalem patriam redire feliciter mereamur: ubi nos parentes noſtri, Patriarchæ, Prophetæ, & Apoſtoli ſuſcipere, vel videre deſiderant; ubi etiam concives noſtri Angeli, & civitas illa cœleſtis Jeruſalem, & Rex civitatis illius Chriſtus expanſis nos brachiis charitatis expectant; ut ad ipſos, proſtrato Diabolo, pleni bonis operibus feliciter redeamus. *Serm.* 224. *in Append.*

Pro Feſto Omnium Sanctorum.

Homo Chriſtianus tunc debito modo honorat Sanctos, ſi illos etiam imitari ſtudeat.

SOlemnitates (*Sanctorum*) devotiſſimè celebremus, ſobria hilaritate, caſta congregatione, fideli cogitatione, fidenti prædicatione. Non parva pars imitationis eſt, meliorum congaudere virtutibus. Illi magni, nos parvi: ſed benedixit Dominus puſillos cum magnis. Præceſſerunt, præemi-

eminuerunt. (*Psalm.* 113.) Si eos sequi non valemus actu, sequamur affectu: si non gloria, certè lætitia: si non meritis, votis: si non passione, compassione: si non excellentia, connexione. Non nobis parum videatur, quod ejus corporis membra sumus, cujus & illi, quibus æquiparari non possumus. *Quia si unum membrum patitur, compatiuntur omnia membra; ita cùm glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra*, (1. *Cor.* 12.) Gloria capiti, unde consulitur & superioribus manibus, & infimis pedibus. Sicut ille unus animam suam pro nobis posuit: ita & imitati sunt Martyres, & animas suas pro fratribus posuerunt; atque ut ista populorum tamquam germinum copiosissima fertilitas surgeret, terram suo sanguine irrigaverunt. Fructus laboris ergo illorum etiam nos sumus. Miramur eos, miserantur nos. Gratulamur eis, precantur pro nobis: Illi corpora sua tamquam vestimenta straverunt, cùm pullus Dominum portans in Jerusalem duceretur: (*Matth.* 21.) nos saltem velut ramos de arboribus cædentes, de Scripturis sanctis hymnos laudesque decerpimus, quas in commune gaudium proferamus. *Serm.* 280. Hoc autem per istas solemnitates commemorari debet Sanctitas vestra, primùm ne arbitremur aliquid nos conferre Martyribus, quia eorum dies solemnissimos celebramus. Illi nostris festivitatibus non egent, quia in cœlis cum Angelis gaudent: congaudent autem nobis, non si ho-

honoremus eos, sed si imitemur eos. Quamquam & quòd honoramus, nobis prodest, non illis. Sed honorare, & non imitari, nihil est aliud quàm mendaciter adulari. Ad hoc ergo istæ festivitates in Ecclesia constitutæ sunt Christi, ut per eas congregatio membrorum Christi admoneatur imitari Martyres Christi. Hæc est omnino hujus festivitatis utilitas, alia non est. Si enim nobis proponatur imitandus Deus, respondet humana fragilitas, multum esse ad se imitari eum, cui non potest comparari. Si deinde ipsius Domini nostri Jesu Christi ad imitationem nobis proponatur exemplum, qui propterea cùm Deus esset mortali carne vestitus est, ut hominibus mortalem carnem gerentibus insinuaret præceptum, & demonstraret exemplum: de quo etiam scriptum est, *Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus:* (1. *Pet.* 2.) tamen & hìc adhuc respondet humana fragilitas, Quid simile ego & Christus? Ille etsi caro, tamen Verbum caro. *Verbum* enim *caro factum est, ut habitaret in nobis*: carnem assumpsit, non Verbum perdidit; quod non erat accepit, non quod erat amisit. *Deus* enim *erat in Christo mundum reconcilians sibi.* (2. *Cor.* 5.) Quid ergo simile ego & Christus? Ad tollendas igitur omnes excusationes infidelis infirmitatis, Martyres nobis stratam construxerunt. Lapideis enim tabulis construenda erat, qua securi ambularemus.

Ipsi

Ipſi fecerunt ſanguine ſuo, confeſſionibus ſuis. Quis eſt, quem pudeat dicere, Impar ſum Deo? Planè impar. Impar ſum Chriſto? Etiam mortali Chriſto impar. Petrus hoc erat quod tu, Paulus hoc erat quod tu, Apoſtoli & Prophetæ hoc erant quod tu. Si piget imitari Dominum, imitare conſervum. Præceſſit agmen ſervorum, ſublata eſt excuſatio pigrorum. Poſtremò adhuc vicit, Impar ſum Petro, impar ſum Paulo. Impar es veritati? Coronatur ruſticitas, non excuſatur vanitas. Poſtremò impar es pueris? impar es puellis? *Serm.* 325. Tranſierunt pueri, tranſierunt & puellæ. Quomodo adhuc via aſpera eſt, quam multi ambulando linierunt? Hæc eſt ergo ſolemnis & aſſidua commonitio noſtra ad vos, Fratres, ut ſolemnitates Martyrum, non vana ſolemnitate celebremus; ſed quos in ſuis ſolemnitatibus amamus, etiam fide ſimili imitari non formidemus. *Serm.* 306. Nec putetis ideo vobis deeſſe poſſe occaſiones coronæ, quia modò deſunt tales perſecutiones. Nec modò enim deſunt quotidie perſecutiones à diabolo, ſive per ſuggeſtionem, ſive per moleſtias aliquas corporis. Tu tantùm ſcito te habere Imperatorem, qui jam præceſſit in cœlum; dedit tibi viam qua ſequaris, tene te ad illum. Noli, cùm viceris, per ſuperbiam tibi tribuere, quaſi de viribus tuis luctatus fueris: ſed præſume de eo qui dedit vires, ut vinceres, quia ipſe vicit ſæculum: (*Joa.* 16.) & ſem-

ſemper coronaris, & Martyr hinc exies, ſi omnes tentationes Diaboli ſuperaveris. *Serm.* 4.

Pro die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum.

Homo Chriſtianus admonetur, ut ſacrificiis, orationibus, & aliis piis operibus defunctos adjuvare ſtudeat.

CUratio funeris, conditio ſepulturæ, pompa exequiarum, magis ſunt vivorum ſolatia, quàm ſubſidia mortuorum. Si aliquid prodeſt impio ſepultura pretioſa, oberit pio vilis aut nulla. Præclaras exequias in conſpectu hominum purpurato illi diviti turba exhibuit famulorum: (*Luc.* 16.) ſed multò clariores in conſpectu Domini ulceroſo illi pauperi miniſterium præbuit Angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, ſed in Abrahæ gremium ſuſtulerunt. *L. de cura pro mortuis gerenda. cap.* 2. Proinde pompæ funeris, agmina exequiarum, ſumptuoſa diligentia ſepulturæ, monumentorum opulenta conſtructio vivorum ſunt qualiacumque ſolatia, non adjutoria mortuorum. Orationibus verò ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis miſericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum univerſa obſervat Ec-

clesia, ut pro eis, qui in Corporis & Sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorum causa opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est, ista prodesse defunctis; sed talibus, qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem. (*Gal.* 5.) Nam qui sine fide, quæ per dilectionem operatur, ejusque Sacramentis, de corporibus exierunt, frustra illis à suis hujusmodi pietatis impenduntur officia, cujus, dum hìc essent, pignore caruerunt, vel non suscipientes, vel in vacuum suscipientes Dei gratiam, & sibi non misericordiam thesaurizantes, sed iram. Non ergo mortuis nova merita comparantur, cùm pro eis boni aliquid operantur sui, sed eorum præcedentibus consequentia ista redduntur. Non enim actum est, nisi cùm hìc viverent, ut eos hæc aliquid adjuvarent, cùm hìc vivere destitissent. Et ideo istam finiens quisque vitam, nisi quod meruit in ipsa, non poterit habere post ipsam. Permittantur itaque quia corda charorum de suorum mortibus contristari dolore sanabili, & consolabiles lacrymas fundant conditione mortali, quas citò reprimat fidei gaudium, qua creduntur fideles, quando moriuntur,

pau-

paululùm à nobis abire, & ad meliora transire. Consolentur eos etiam fraterna obsequia, sive quæ funeribus exhibentur, sive quæ dolentibus adhibentur, ne sit justa querela dicentium, *Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit, & consolantes, & non inveni*. (*Psalm.* 68.) Sit pro viribus cura sepeliendi & sepulchra construendi: quia & hæc in Scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt: nec solùm in corporibus Patriarcharum aliorumque Sanctorum, & humanis cadaveribus quorumcumque jacentium; verùm etiam in ipsius Domini corpore prædicati atque collaudati sunt, qui ista fecerunt. Impleant hæc homines erga suos officia postremi muneris & sui humani lenimenta mœroris. Verùm illa quæ adjuvant spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multo pro eis observantiùs, instantiùs, abundantiùs impendant, qui suos carne, non spiritu mortuos, non solùm carnaliter, sed etiam spiritaliter amant. *Serm.* 172. Non existimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, pervenire, nisi quod pro eis sive altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificiis solemniter supplicamus: quamvis non pro quibus fiunt omnibus prosint, sed iis tantùm, quibus dum vivunt comparatur ut prosint. Sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint & debeant

pervenire. Meliùs enim supererunt ista eis quibus nec obsunt nec prosunt, quàm eis deerunt quibus prosunt. Diligentiùs tamen facit hæc quisque pro necessariis suis, quò pro illo fiant similiter à suis. *L. de cura pro mortuis gerenda. c.* 18.

Pro Festo Præsentationis Beatissimæ Virginis Mariæ.

Quantùm Deo placuerit votum Virginitatis, quod Maria in templo præsentata omnium prima emisit.

MAriæ virginitas ideo gratior & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo quam conservaret ipse præripuit, sed priùs quàm conciperetur jam Deo dicatam de qua nasceretur elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annuntianti Angelo Maria reddidit. *Quomodo*, inquit, *fiet istud*, *quoniam virum non cognosco?* (*Luc.* 1.) Quod profectò non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa jam voverat. Quamquam etiamsi hoc solum dixisset, *Quomodo fiet istud?* nec addidisset, *quoniam virum non cognosco*: non quæsisset utique, promissum sibi filium quomodo fœmina paritura esset, si concubitura nupsisset. Poterat & juberi virgo permanere, in qua Dei Filius formam ser-

ſervi congruenti miraculo acciperet: ſed exemplo ſanctis futura virginibus, ne putaretur ſola virgo eſſe debuiſſe, quæ prolem etiam ſine concubitu concipere meruiſſet, virginitatem Deo dicavit, cùm adhuc quid eſſet conceptura neſciret, ut in terreno mortalique corpore cœleſtis vitæ imitatio voto fieret, non præcepto; amore eligendi, non neceſſitate ſerviendi. Ita Chriſtus naſcendo de Virgine, quæ antequàm ſciret quis de illa fuerat naſciturus, Virgo ſtatuerat permanere, virginitatem ſanctam approbare maluit quàm imperare. Ac ſic etiam in ipſa fœmina, in qua formam ſervi accepit, virginitatem eſſe liberam voluit. Non eſt ergo cur Dei virgines contriſtentur, quòd etiam ipſæ virginitate ſervata, matres carnis eſſe non poſſunt. Illum enim ſolum virginitas decenter parere poſſet, qui in ſua nativitate parem habere non poſſet. Verumtamen ille unius ſanctæ Virginis partus omnium ſanctarum virginum eſt decus. Et ipſæ cum Maria matres Chriſti ſunt: ſi Patris ejus faciunt voluntatem. Hinc enim & Maria laudabilius atque beatiùs Chriſti mater eſt, ſecundùm ejus ſententiam: *Quicumque facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe mihi frater, & ſoror & mater eſt.* (*Matth.* 12.) Has ſibi omnes propinquitates, in populo quem redemit, ſpiritaliter exhibet: fratres & ſorores habet ſanctos viros & ſanctas fœminas, quoniam ſunt illi in cœleſti hære-

ditate cohæredes. Mater ejus eſt tota Eccleſia, quia membra ejus, id eſt, fideles ejus per Dei gratiam ipſa utique parit. Item mater ejus eſt omnis anima pia, faciens voluntatem Patris ejus fœcundiſſima charitate, in iis quos parturit, donec in eis ipſe formetur. Maria ergo faciens voluntatem Dei, corporaliter Chriſti tantummodo mater eſt, ſpiritaliter autem & ſoror & mater. Ac per hoc illa una fœmina, non ſolùm ſpiritu, verùm etiam corpore, & mater eſt, & virgo. Et mater quidem ſpiritu, non capitis noſtri, quod eſt ipſe Salvator, ex quo magis illa ſpiritaliter nata eſt; quia omnes qui in eum crediderint, in quibus & ipſa eſt, rectè filii Sponſi appellantur: (*Matt.* 9.) ſed planè mater membrorum ejus, quod nos ſumus; quia cooperata eſt charitate, ut fideles in Eccleſia naſcerentur, quæ illius capitis membra ſunt: corpore verò ipſius capitis mater. Oportebat enim caput noſtrum propter inſigne miraculum ſecundùm carnem naſci de Virgine, quo ſignificaret membra ſua de virgine Eccleſia ſecundùm ſpiritum naſcitura. Sola ergo Maria & ſpiritu & corpore mater & virgo, & mater Chriſti, & virgo Chriſti. Eccleſia verò in Sanctis regnum Dei poſſeſſuris, ſpiritu quidem tota mater Chriſti eſt, tota virgo Chriſti; corpore autem non tota, ſed in quibuſdam virgo Chriſti, in quibuſdam mater, ſed non Chriſti. Et conjugatæ quippe fideles fœmi-

minæ & virgines Deo dicatæ, ſanctis moribus & charitate de corde puro & conſcientia bona & fide non ficta, quia voluntatem Patris faciunt, Chriſti ſpiritaliter matres ſunt. (1. *Tim.* 1.) Quæ autem conjugali vita corporaliter pariunt, non Chriſtum, ſed Adam pariunt, & ideo currunt, ut ſacramentis imbuti Chriſti membra fiant partus earum, quoniam quid pepererint norunt. *L. de ſancta virginitate. cap.* 4. *& ſeq.*

Pro Feſto S. Andreæ Apoſtoli.

Conſideret Homo Chriſtianus Chriſtum, quando pro Apoſtolis piſcatores, & inter illos etiam S. Andream elegit, docere nos voluiſſe, quòd in ſolo Deo gloriari debeamus, qui infirma eligit, ut confundat fortia.

DOminus Jeſus infirma mundi eligens, ut confunderet fortia, & colligens Eccleſiam ſuam de toto orbe terrarum, non cœpit ab Imperatoribus, aut à Senatoribus, ſed à piſcatoribus. Quæcumque enim dignitates fuiſſent priùs electæ, ſibi hoc auderent tribuere, non Dei gratiæ. Hoc conſilium ſecretum Dei, hoc conſilium Salvatoris noſtri exponit Apoſtolus, ubi dicit, *Videte enim vocationem veſtram, Fratres*, (1. *Cor.* 1.) Apoſtoli verba ſunt, *quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed infirma mundi elegit Deus,*

ut confunderet fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt, ut quæ sunt evacuentur, ut non glorietur omnis caro coram illo. (*Isa.* 40.) Hoc & Propheta dixit: *Omnis vallis implebitur, omnis mons & collis humiliabitur, æqualitas campi constituetur.* Denique hodie ad gratiam Domini pariter accedunt nobiles & ignobiles, doctus & imperitus, pauper & dives. Ad istam gratiam accipiendam non se præponit superbia humilitati, nihil scienti, nihil habenti. Sed quid eis dixit? *Venite post me, faciam vos piscatores hominum.* (*Matth.* 4.) Si illi piscatores non præcessissent, nos quis cepisset? Modò magnus est quilibet orator, si potuerit bene exponere, de quo scripsit piscator. *Serm.* 250. Elegit discipulos, quos & Apostolos nominavit, humiliter natos, inhonoratos, illiteratos, ut quidquid magnum essent & facerent, ipse in eis esset & faceret. *L.* 18. *de Civit. Dei, c.* 49. Ineruditos liberabilibus disciplinis, & omnino, quantum ad doctrinas attinet, impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rhetorica inflatos, piscatores Christus cum retibus fidei ad mare hujus sæculi paucissimos misit, atque ita & ex omni genere tam multos pisces, & tanto mirabiliores, quanto rariores, etiam ipsos Philosophos cepit. Propterea mundus numero exiguo ignobilium, infimorum, imperitorum hominum credidit,
quia

quia in tam contemptibilibus teſtibus multò mirabiliùs divinitas ſe ipſa perſuaſit. *L. 22. de Civit. Dei, c. 5.* Elegit Dominus poſtea & Oratores; ſed illi ſuperbirent, ſi non priùs eligeret piſcatores: elegit divites; ſed dicerent merito divitiarum ſuarum ſe electos eſſe, niſi primò elegiſſet pauperes: elegit Imperatores poſtea; ſed melius eſt, ut Romam cùm venerit Imperator, depoſito diademate ploret ad Memoriam piſcatoris, quàm ut piſcator ploret ad Memoriam Imperatoris, *Infirma enim mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi elegit, & ea quæ non ſunt tamquam ea, quæ ſunt, ut quæ ſunt evacuentur.* Et quid ſequitur? Concluſit Apoſtolus, *Ut non glorietur coram Deo omnis caro.* Videte quemadmodum nobis abſtulit gloriam, ut daret gloriam: abſtulit noſtram, ut daret ſuam; abſtulit inanem, ut daret plenam; abſtulit nutantem, ut daret ſolidam. Quantò ergo gloria noſtra fortior & firmior, quia in Deo eſt? Non ergo in te debes gloriari; prohibuit veritas: ſed quod ait Apoſtolus, hoc præcepit veritas, *Qui gloriatur, in Domino glorietur. Enar. in Pſalm. 65. n. 4.*

Pro Festo immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ.

Hoc unum persuadeat Homini Christiano, Mariam sine labe originali conceptam esse, quod fuerit gratia plena, & ab æterno in Matrem Dei electa.

DE sancta Virgine Maria nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, haberi volo quæstionem: inde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. *L. de Nat. & Grat. c. 36. Mater Sion dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus.* (*Psalm.* 86.) Ipse qui fundavit eam Altissimus, ipse in ea factus est homo: Altissimus, quia talem Matrem creavit: Altissimus, quia sic se in ea formavit, ut procedens ex ejus utero, & filium ejus redderet, & integritatem non corrumperet. Quæ est gratia matris hujus & virginis? Quæ est gratia hujus fœminæ, quæ virum nesciens filium portat? Quæ est gratia? Audite Gabrielem Angelum eam salutantem: *Ave*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum.* (*Luc.* 1.) Quando Angelus istam Virginem sic salutavit, tunc eam Spiritus Sanctus fœcundavit: tunc illa fœmina virum sine viro concepit, tunc repleta est gratia, tunc Dominum suscepit, ut esset in ea, qui fecerat eam.

eam. *L. 2. de Symb. ad Catechum. c. 5. Invenisti gratiam apud Deum.* Invenisse apud Deum gratiam dicitur, ut Domini sui, imo omnium Domini mater esset. *In Enchyr. c. 36.* Facta est Maria scala coelestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines ascendere mererentur ad coelos: ipsis enim licebit ascendere illuc, qui Deum crediderint ad terras per Virginem Mariam descendisse. *Serm. 123. in Append.* Quia per foemineum sexum cecidit homo, per sexum foemineum reparatus est homo: per foeminam mors, per foeminam vita. *Serm. 232.* Mortem nobis persuaserat foemina, vitam nobis peperit foemina. *Serm. 184.* Iisdem gradibus, Dilectissimi, quibus perierat humana natura, à Domino Jesu Christo reparata est. Adam superbus, humilis Christus: per foeminam mors, per foeminam vita; per Evam interitus, per Mariam salus. Illa corrupta secuta est seductorem, hæc integra peperit Salvatorem. Illa poculum à serpente propinatum libenter accepit, & viro tradidit, ex quo simul mererentur occidi: hæc gratia coelesti desuper infusa vitam protulit, per quam caro mortua possit resuscitari. Quis est qui hæc operatus est, nisi Virginis Filius, & virginum Sponsus? qui attulit Matri foecunditatem, sed non abstulit integritatem. *L. 3. de symb. ad Catechum. c. 4.*

Pro Festo S. Thomæ Apostoli.

Ex dubitatione S. Thomæ discat Homo Christianus firmiter modò credenda esse quæ nondum videmus, ut aliquando mereamur videre quæ modò credimus.

FRatres exhortamur & obsecramus vos in nomine Domini nostri Jesu Christi, per quem nobis peccata dimissa sunt, qui voluit pretium nostrum esse sanguinem suum, qui nos indignos qui vel servi ejus diceremur, fratres facere dignatus est, ut omnis intentio vestra, quare Christiani estis, & nomen ejus in fronte & in corde portatis, non dirigatur nisi ad illam vitam, quæ nobis cum Angelis est futura: ubi perpetua quies sempiterna lætitia, indeficiens beatitudo, nulla perturbatio, nulla tristitia, nulla mors. Quam vitam nosse non possunt, nisi qui experiuntur: experiri autem non poterunt, nisi qui credunt. Si enim exigatis, ut quod vobis promittit Deus, demonstremus vobis, non possumus. Sed audistis quomodo conclusit Euangelium Joannis: *Beati qui non vident, & credunt.* (*Joa.* 20.) Et videre vultis, &, ego. Pariter credamus, & simul videbimus. Non simus duri adversùs verbum Dei. Numquid enim, Fratres, dignum est, ut Christus descendat modò de cœlo, & cicatrices suas nobis ostendat? Ideo illi incredulo ostendere dignatus est, ut objurgaret dubios, & instrueret credituros: *Serm.* 259. Dixe-

rant ei condiſcipuli ejus: *Vidimus Dominum*. Ille autem: *Niſi videro*, inquit, *in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in latus ejus, non credam*. Sciebat enim clavis in cruce confixum; ſciebat lancea latus percuſſum: hæc ſigna quærebat, ideò non credebat. Manus quærebat latus: & dum curioſus exiſtit in vulnere, mortem incurrerat in fide. O beate Apoſtole, ante oculos tuos Chriſtus Lazarum potuit ſuſcitare, & ipſe non poterat de ſepulchro ſurgere? Quæris loca clavorum, & oblitus es miracula tanta ſignorum? Nonne ante oculos tuos cœcos illuminavit, paralyticos ſanavit, leproſos mundavit? Sic perdidiſti in triduo memoriam magiſtri, ut potentiæ non crederes Chriſti? Mors Chriſti in carne, vita tua debet eſſe in fide. Vidiſti quidem percutientem lancea; ſed divinam non penetravit potentiam. Ecce iterum venit Dominus, ne periret diſcipulus, & dicit Thomæ: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis*. O pietas Salvatoris, quæ non dedignatur locum oſtendere cicatricis! *Serm. 169. in Append.* Dominus qui poſſet ſine ullo veſtigio vulneris reſurgere, ſervavit cicatrices, quæ à dubitante tangerentur, & cordis vulnera ſanarentur: *Ecce*, inquit, *digitos tuos mitte per latus meum, & noli eſſe incredulus*. Occiſus ſum propter te: per locum quem vis tan-

tangere, ſanguinem fudi ut redimerem te, & adhuc dubitas de me, niſi tetigeris me? Ecce & hoc præſto, ecce & hoc exibeo: tange, & crede; inveni locum vulneris, ſana vulnus dubitationis, *Serm.* 112. Et quid Dominus illi jam confitenti, ac dicenti: *Dominus meus, & Deus meus? Quia vidiſti me*, inquit, *credidiſti: beati, qui non vident, & credunt*. Quos dixit, Fratres, niſi nos? Non quia ſolos nos, ſed & poſt nos. Poſt parvum enim tempus, poſteaquàm ab oculis mortalibus receſſit ut firmaretur fides in cordibus, quicumque crediderunt, non videntes crediderunt, & magnum meritum habuit fides eorum: cui fidei comparandæ cor tantùm admoverunt pium, non & palpantem manum, *Serm.* 88. *Beati qui non vident & credunt*. Nos deſcripti ſumus, nos deſignati ſumus. Fiat ergo in nobis beatitudo, quam Dominus prædixit futuram: firmè teneamus quod non videmus; quia illi nuntiant qui viderunt: *Ut & vos*, inquit, *ſocietatem habeatis nobiſcum*. Et quid magnum ſocietatem habere cum hominibus? Noli contemnere: vide quid addat: *Et ſocietas noſtra ſit cum Deo Patre, & Jeſu Chriſto Filio ejus*, *Tract.* 1. *in Epiſt. Joan.*



PRO ADVENTU

Et ſubſequentibus Feſtis Natalitiis.

Dominica I. Adventus.

Homo Chriſtianus, pro Chriſti adventu, animam & conſcientiam ſuam ſummo ſtudio purget & exornet.



Ppropinquante jam ſacratiſſima ſolemnitate, qua Salvator noſter inter homines naſci miſericorditer voluit, Fratres Chariſſimi, attentiùs conſiderate, qualiter oporteat nos in adventu tantæ potentiæ præparari, ut Regem & Dominum noſtrum læti atque gaudentes cum gloria & laudibus mereamur ſuſcipere, & in conſpectu ejus inter coetus felices Sanctorum gratulando exultare, magis quàm ab eo propter fœditatem noſtram repulſi inter peccatores æternam confuſionem mereri. Et ideo rogo & moneo, ut quantum poſſumus, cum Dei adjutorio laboremus, ut in illo die cum pura & ſincera conſcientia, mundo corde & caſto corpore ad altare Domini poſſimus accedere, & corpus & ſanguinem ejus non ad judicium, ſed ad remedium animæ noſtræ mereamur accipere. In Chriſti enim corpore vita noſtra conſiſtit, ſicut & ipſe dixit: *Niſi manducave-*

caveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, (*Joan.* 6.) Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam. Nam si non mutet vitam, ad judicium accipiet vitam: & magis ex ipsa corrumpitur, quàm sanetur; magis occiditur, quàm vivificetur. Sic enim dixit Apostolus: *Qui manducat corpus Domini, & bibit sanguinem ejus indignè, judicium sibi manducat & bibit*. (1. *Cor.* 11.) Et licèt nos omni tempore bonis operibus ornatos ac splendidos esse conveniat, præcipuè tamen in die Natalis Domini, sicut in Evangelio ipse dixit, lucere debent hominibus opera vestra, (*Mat.* 5.) Considerate, quæso, Fratres, quando aliquis homo potens aut nobilis natalem, aut suum, aut filii sui celebrare desiderat, quanto studio ante plures dies quidquid in domo sua sordidum viderit, ordinat emundari, quidquid ineptum & incongruum projici, quidquid utile & necessarium, præcipit exhiberi: domus etiam, si subobscura fuerit, dealbatur, pavimenta scopis mundantur, & diversis respersa floribus adornantur; quidquid etiam ad lætitiam animi & corporis delicias pertinet, omni sollicitudine providetur. Ut quid ista omnia, Fratres charissimi, nisi ut dies natalitius cum gaudio celebretur hominis morituri? Si ergo tanta præparas in natalitio tuo, aut filii tui, quanta & qualia præparare debes suscepturus natalem Domini tui? Si talia præparas morituro; qualia præparare debes æter-

æterno? Quidquid ergo non vis invenire in domo tua, quantum potes, labora ut non inveniat Deus in anima tua. Certè si te Rex terrenus, aut quicumque paterfamilias ad suum natalitium invitaret, qualibus vestimentis studeres ordinatus incedere, quàm novis ac nitidis, quàm splendidis; quorum nec vetustas, nec vilitas, nec aliqua fœditas oculos invitantis offenderet? Tali ergo studio, in quantum prævales, Christo auxiliante contende, ut diversis virtutum ornamentis anima tua composita, simplicitatis gemmis, & sobrietatis floribus adornata, ad solemnitatem Regis æterni, idest, ad natalem Domini Salvatoris cum secura conscientia procedat, castitate nitida, charitate splendida, eleemosynis, candida. Christus enim Dominus si te ita compositum natalitium suum celebrare cognoverit, ipse per se venire, & animam tuam non solùm visitare, sed etiam requiescere & in perpetuum in illa dignabitur habitare; sicut scriptum est: *Et inhabitabo in illis, & inambulabo,* (2. *Cor.* 6.) & iterùm: *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis surrexerit & aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum,* (*Apocal.* 3.) Quàm felix est illa anima, quæ vitam suam ita, Deo auxiliante, studuerit gubernare, ut Christum hospitem & habitatorem mereatur excipere, *Serm.* 115. *in Append.*

FERIA II.

Quantùm homo Christianus ad sacratissimam Dominicæ Nativitatis festivitatem per bona opera se præparare debeat.

SAnctam & desiderabilem, gloriosam ac singularem solemnitatem, hoc est, Nativitatem Domini Salvatoris, Fratres dilectissimi, devotione fidelissima suscepturi, totis viribus nos debemus cum ipsius adjutorio præparare, & omnes latebras animæ nostræ diligenter aspicere; ne fortè sit in nobis aliquod peccatum absconditum, quod, & conscientiam nostram confundat, ac mordeat, & oculos divinæ Majestatis offendat. Nam licèt Christus Dominus noster post passionem suam resurrexerit, & in cœlum ascenderit; considerat tamen, ut credimus, & diligenter attendit, qualiter se unusquisque servorum ejus sine avaritia, sine ira, sine superbia atque luxuria ad celebrandam ejus Nativitatem studeat præparare atque componere: & secundùm quod unumquemque bonis operibus ornatum viderit, ita illi gratiam suæ misericordiæ dispensabit. Si enim viderit charitatis luce vestitum, justitiæ vel misericordiæ margaritis ornatum, castum, humilem, misericordem, benignum & sobrium, si talem agnoverit, corpus & sanguinem suum ei non ad judicium, sed ad remedium per Sacerdotum suorum ministerium dispensabit. Si

verò

verò aliquem viderit adulterum, ebriosum, cupidum & superbum, timeo ne hoc illi dicatur, quod in Evangelio Dominus ipse dixit: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* (*Matth.* 22.) Et quod avertat Deus, fiat illud quod sequitur: *Ligate illi manus & pedes, & projicite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus & stridor dentium.* Ecce qualem sententiam in die judicii excipiet, qui sine remedio pœnitentiæ ad festivitatem Domini vitiorum sordibus inquinatus accesserit. In Natali enim Domini, Fratres dilectissimi, quasi in nuptiis spiritalibus, sponsæ suæ Ecclesiæ Christus adjunctus est. Tunc veritas de terra orta est, tunc processit sponsus de thalamo suo, hoc est, Verbum Dei de utero virginali. Processit enim cum sponsa sua Ecclesia, idest, humanam carnem suscepit. Ad istas ergo tam sanctas nuptias invitati, & ad convivium Patris & Filii & Spritus Sancti intraturi, videte qualibus indumentis debeamus ornari. Et ideò mundemus, quantum possumus cum Dei adjutorio, corda simul & corpora nostra: ut cœlestis ille invitator nihil in nobis sordidum, nihil fœtidum, nihil obscurum, nihil oculis suis deprehendat indignum. Hæc ergo, Fratres dilectissimi, non transitoriè, sed cum ingenti tremore debemus attendere. Invitati enim sumus ad nuptias, ubi nos ipsi, si bene agimus, sponsæ erimus. Cogitemus ad quales nuptias, con-

fide-

fideremus ad qualem ſponſum, vel ad quale convivum invitati ſumus. Invitati enim ſumus ad menſam, ubi non invenitur cibus hominum, ſed panis ponitur Angelorum. Et ideo videamus, ne fortè intus in anima, ubi debemus bonorum operum margaritis ornari, ibi appareamus vitiorum pannis veteribus involuti: & quando eos qui boni ſunt in oculis Dei caſtitas reddet candidos, tunc eos qui mali ſunt reddat luxuria ſordidatos. Et ideo quotieſcumque aut dies Natalis Domini, aut reliquæ feſtivitates adveniunt, ab omni iracundia vos alienos efficite: peccata præterita per eleemoſynam & pœnitentiam redimantur: contra nullum hominem odium in corde teneatur: quod ſolebat vanitas per gulam perdere, incipiat juſtitia per miſericordiam pauperibus erogare: quod luxuria vel gula diſſipavit in mundo, pietas reponat in cœlo. Et licèt hoc expediat, ut ſemper eleemoſynas facere debeamus; præcipuè tamen in ſanctis ſolemnitatibus ſecundùm vires noſtras abundantiùs erogemus, pauperes ante omnia frequentiùs ad convivium vocemus. Non enim eſt juſtum, ut in ſancta ſolemnitate in populo Chriſtiano ad unum Dominum pertinente, alii inebrientur, alii famis periculo crucientur. Et nos & omnis populus unius Domini ſervi ſumus, uno pretio redempti ſumus, pari conditione in hunc mundum intravimus, ſimili etiam exitu migraturi ſumus; & ſi bene agimus, ad

unam

unam beatitudinem pariter veniemus. Et quare pauper tecum non capiat cibum, qui tecum accepturus eſt regnum? Quare pauper non accipiat vel veterem tunicam, qui tecum recepturus eſt immortalitatis ſtolam? Quare pauper non mereatur accipere panem tuum, qui tecum meruit accipere Baptiſmi ſacramentum? Cur indignus eſt accipere reliquias ciborum tuorum, qui tecum ad convivium venturus eſt Angelorum? Audite, Fratres, audite non meum ſed Domini commune præceptum. Sic enim ait in Evangelio: *Cùm facis prandium aut cœnam, noli invitare divites, qui te iterum reinvitent, & fiat tibi retributio: ſed voca pauperes & claudos; & beatus eris, quia non habent unde retribuant tibi: retribuetur autem tibi in retributione juſtorum*, (*Luc.* 14.) *Serm.* 116. *in Append.*

FERIA III.

Homo Chriſtianus hoc ſacro Adventus tempore duos ſibi proponat homines: unum, per quem deſtructi, & alterum, per quem redempti ſumus.

HOc eſt Chriſtianæ fidei fundamentum: Unus & unus: unus homo per quem ruina, alius homo, per quem ſtructura: per illum ruina, per hunc ſtructura. Cecidit qui non manſit, erigit qui non cecidit. Ruit ille quia dimiſit manentem, manens ille deſcendit ad jacentem, *Serm.* 30. Erigite fidem, evigilet cor veſtrum: recorda-

cordamini hominem, in quo decepti sumus: recordamini hominem, à quo redempti sumus. Ille homo numquid filius hominis? Adam homo erat, filius hominis non erat. Ideò Dominus Christus assiduè se dicit filium hominis, ut faciat nos recordari hominem, qui non fuit filius hominis: ut recordemur in illo mortem, in isto vitam; in illo peccatum, in isto remissionem peccatorum; in illo vinculum, in isto libertatem; in illo damnationem, in isto absolutionem, *Serm.* 233. Duas nativitates attendite, Fratres, Adam & Christum: duo sunt homines; sed unus ipsorum homo homo, alter ipsorum homo Deus. Per hominem hominem peccatores sumus: per hominem Deum justificamur. Nativitas illa dejecit ad mortem; ista nativitas erexit ad vitam: nativitas illa trahit secum peccatum, nativitas ista liberat à peccato. Ideò enim venit Christus homo, ut solveret peccata hominum: *In hoc manifestatus est Filius Dei, ut solvat opera diaboli*, (1. *Joan.* 3.) *Tract.* 4. *in Epist Joan.* Ex prima transgressione primi hominis, universum genus humanum natum cum obligatione peccati, victor diabolus possidebat. Si enim sub captivitate non teneremur, Redemptore non indigeremus. Venit ad captivos non captus: venit ad captivos redimendos nihil in se captivitatis, hoc est, iniquitatis habens, sed carne mortali pretium nostrum portans. Si enim carnem morta-
lem

lem non haberet, unde in Verbo sanguis, quem pro captivis funderet? Ille autem qui ad captivitatem nostram venit cum similitudine carnis peccati, non cum carne peccati venit. Similitudo enim erat illa carnis peccati: vera caro, sed similis carni peccati: vera caro, sed non peccati caro. Ille ergo qui ita venit, quis erat? *Bene nuntiate de die in diem.* (*Psal.* 95.) Ecce quis erat. De die in diem erat, Deus de Deo erat, lumen de lumine erat: sed Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis: latens majestas, apparens infirmitas, ut moriatur infirmitas, & teneatur majestas, *Sermon.* 27. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur, (1. *Cor.* 15.) Sed in Adam moriuntur per carnis nativitatem, in Christo liberantur per cordis fidem. Non erat in potestate tua ut non nascereris ex Adam: est in potestate tua ut credas in Christum. Quantumcumque ergo ad primum hominem pertinere volueris, ad captivitatem pertinebis. Et quid est, pertinere volueris; aut quid est, pertinebis? Jam pertines, exclama: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* 7.) *Deus in te speravi, Domine, non confundar in æternum,* (*Psal.* 70.) Jam confusus sum, vel non in æternum. Quomodo enim non est confusus, cui dicitur: *Quem fructum habuistis in his, in quibus nunc erubescitis,* (*Rom.* 6.) Qui ergo fiet, ne confundamur in æternum? *Accedite ad*

eum,

eum, & illuminamini, & vultus vestri non erubescent, (*Psalm.* 33.) Confusi estis in Adam: recedite ab Adam, accedite ad Christum, & jam non confundemini: *In te speravi, Domine, non confundar in æternum*. Si in me confundor, in te non confundar in æternum, *Enar. in Ps.* 70. *Serm.* 1. *num.* 2. & 3.

FERIA IV.

Agnoscat & admiretur Homo Christianus duas in Christo nativitates: æternam ex Patre, temporalem ex Matre, utramque ineffabilem.

DEbemus fide Catholica retinere duas esse nativitates Domini; unam divinam, alteram humanam: illam sine tempore, hanc in tempore. Ambas autem mirabiles: illam sine matre, istam sine patre. Si istam non comprehendimus, illam quando enarramus? Quis comprehendat novitatem novam, inusitatam, unicam in mundo, incredibilem credibilem factam, & toto mundo incrediviliter creditam; ut virgo conciperet, virgo pareret, virgo pariens permaneret? Quod humana ratio non invenit, fides capit: & ubi humana ratio deficit, fides proficit. Quis enim dicat, non potuisse Dei Verbum per quod facta sunt omnia, facere sibi carnem etiam sine matre, sicut primum hominem sine patre fecit & matre? Sed quoniam utrumque sexum, id est, masculi & fœminæ ipse utique creavit; ideo

ideo utrumque ſexum etiam naſcendo voluit honorare, quem venerat liberare. Lapſum certè primi hominis noſtis, quia non eſt auſus ſerpens loqui viro, ſed ad eum dejiciendum fœmineo uſus eſt miniſterio. Per infirmiorem obtinuit fortiorem, & qui per alterum penetravit, de utroque triumphavit. Ideo ut non poſſemus mortem noſtram in fœmina velut motu juſti doloris horrere, eamque credere ſine reparatione damnatam; Dominus veniens quærere quod perierat, utrumque voluit honorando commendare, quia utrumque perierat. In nullo igitur ſexu debemus injuriam facere Creatori: utrumque ad ſperandam ſalutem commendavit Nativitas Domini. Honor maſculini ſexus eſt in carne Chriſti: honor fœminini eſt in Matre Chriſti, *Serm.* 190. Utraque ejus nativitas mira eſt, & divinitatis & humanitatis. Illa eſt de patre ſine matre, iſta eſt de matre ſine patre: illa eſt ſine aliquo tempore, iſta in acceptabili tempore: illa æterna, iſta opportuna: illa ſine corpore in ſinu Patris, iſta cum corpore, quo non violata eſt virginitas Matris: illa ſine ullo ſexu; iſta ſine ullo virili complexu, *Sermon.* 214. *Generationem ejus quis enarrabit?* (*Iſa.* 53.) De qua potiùs dictum ſit judicare difficile; utrùm de illa, ubi numquam non natus coæternum habet Patrem, an de iſta ubi aliquando natus, in qua fieret, jam fecerat Matrem: utrum de illa, ubi ſemper natus eſt, qui ſemper erat, quis

enim enarrabit quomodo natum sit lumen de lumine, & unum lumen utrumque sit? quomodo natus sit Deus de Deo, nec Deorum numerus creverit? quomodo velut de re transacta dicatur quòd natus est, cùm tempus in illa nativitate nec transierit, quo præterita esset; nec præcesserit, quo futura esset; nec præsens fuerit, quasi adhuc fieret, & perfecta non esset? Hanc ergo generationem quis enarrabit, cùm id quod enarrandum est supra tempora maneat, sermo autem enarrantis in tempore transeat? Istam quoque ex Virgine generationem quis enarrabit, cujus conceptus in carne non carnaliter factus, cujus ortus ex carne ubertatem nutrienti attulit, integritatem parienti non abstulit? Quamlibet itaque earum, sive utramque *generationem ejus quis enarrabit, Serm.* 195. Sive illam sine tempore, sive istam sine semine; illam sine initio, istam sine exemplo; illam quæ numquam non fuit, istam quæ nec antea nec postea fuit; illam quæ non habet finem, istam quæ initium illic habet, ubi finem. Meritò ergo Prophetæ nuntiaverunt nasciturum, cœli verò atque Angeli natum. Jacebat in præsepio continens mundum: & infans erat & Verbum. Quem cœli non capiunt, unius fœminæ sinus ferebat. Illa regem nostrum regebat, in quo sumus, illa portabat: panem nostrum illa lactabat. O manifesta infirmitas, & mira humilitas, in qua sic latuit tota divinitas! Matrem cui subja-

cebat

cebat infantia, regebat potentia: & cujus ubera ſugebat, eam veritate paſcebat. Perficiat in nobis ſua munera, qui ſumere non abhorruit etiam noſtra primordia: & ipſe faciat nos Dei filios, qui propter nos fieri voluit hominis filius, *Serm.* 184.

FERIA V.

Conſideret Homo Chriſtianus, quomodo Dominicæ Incarnationis myſterium Beatiſſimæ Virgini ab Angelo ſit annuntiatum.

PRimus ille noſter caſus fuit, quando fœmina, per quam mortui ſumus, in corde concepit venena ſerpentis; non mirandum quòd ſalus noſtra facta eſt, cùm fœmina concepit in utero carnem omnipotentis. Uterque ceciderat ſexus, uterque fuerat reparandus. Per mulierem in interitum miſſi eramus, per mulierem nobis reddita eſt ſalus, *Serm.* 289. Talis eligitur Virgo, de toto ſcilicet mundo, quæ tantum haberet meritum, ut Dei Filium in ſemetipſa ſuſciperet, & poſt partum omni modo virgo permaneret, *Serm.* 193. *in Append.* Deſcendit Angelus de cœlo miſſus à Patre Deo in noſtræ redemptionis exordium, ad beatam ſalutandam Mariam, *Serm.* 194. *in Append. Ave*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum*, (*Luc.* 1.) A ſalutatione incipit, qui ſalvationem in lingua portavit. Sileat nunc à fœminis, ſileat tortuoſi ſerpentis male ſuadibilis ſibilus; ad-

Matrem Domini nostri Angelus est locutus: *Ave*, inquit, *gratia plena*, *Dominus tecum*. Gratia refertur pro culpa; plena dicitur, non vacua: impleta est ergo gratia, & evacuata est culpa, *Serm*. 120. *in Append*. Impleta est Maria gratia, & Eva vacuata est à culpa. Maledictio Evæ in benedictionem mutatur Mariæ, *Serm*. 194. *in Append*. *Ave*, inquit, *gratia plena*, *Dominus tecum*: tecum in corde, tecum in ventre, tecum in utero, tecum in auxilio. Gratulare, Virgo, Christus rex è cœlo suo venit in uterum tuum. Ex sinu Patris in uterum dignatus est descendere Genitricis, sed nec regionem suam Majestas infinita deseruit, nec eum virginalis aula cùm accepisset, inclusit. Fides à terra in cœlum erecta est: huic Christus insedit, & per ipsam in templum pudoris intravit: *Benedicta*, inquit, *tu inter mulieres*, quæ vitam & viris & mulieribus peperisti. Ede, inculpabilis fœmina, inviolabilem virum; & sic & fœminam salvabis & virum. Mater generis nostri pœnam intulit mundo, Genitrix Domini nostri salutem & fœminæ gessit & viro. Auctrix illa peccati maledicta; sic enim in eam sententia decreti principalis invehitur, Maledicta tu inter mulieres. Auctrix ergo hæc meriti benedicta; ita enim ad eam cœlestis nuntius infert: *Benedicta tu inter mulieres*, *Serm*. 120. *in Append*. Terretur Virgo novitate verborum. Ad quam Angelus: *Ne timeas*, inquit, *Maria*; *inveni-*

sti

sti enim gratiam apud Dominum. Ne, inquit, ad conspectum meum, Mater Domini mei, terrearis: ego conceptionis tuæ minister adveni; ipse me misit ad te qui est nasciturus ex te; ipse tibi per me annuntiat gaudium, cui placuit in utero tuo cum humana natura mysticum sociare conjugium: *Invenisti gratiam apud Dominum. Ecce concipies & paries filium*, non cujuslibet meriti hominem, sed totius mundi Salvatorem: *Ne*, inquit, *timeas*. Abjice abs te omnem metum sæculi, quæ conceptura es gaudium mundi, Revolve, Maria, Propheticam lectionem: neque enim te scientia divinorum potest præterire librorum, quæ ipsa plenitudinem paritura es Prophetarum. Recole in libro Isaiæ Prophetæ virginem quam legisti; & gaude quia tu esse meruisti. Tu ibi præsignata es Virgo: tu ecce concipies in utero non de viro, sed de Spiritu Sancto: & gravida eris, & incorrupta manebis; paries filium, & virginitatis non patieris detrimentum, *Serm. 119. in Append. Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum*. Virginitatis jura servabis, filium habebis, & nomen virginis non amittes. Tanta est enim illa divina potentia, ut & matrem reddat fœcundam, & virginem servet illæsam. Ideo benedicta tu inter mulieres, quia ex Spiritu Sancto concipies, ubi non est carnalis maritus, sed divina cognoscitur virtus.

Lactabis infantem proprium, Creatori succum porriges lactis, & cibis cœlestibus satiaberis. Pannis involves puerum, qui tibi immortale condonabit indumentum. In præsepio pones infantilia membra, qui cœlestem tibi præparabit mensam. Quid multa? Exulta Virgo de tanto promisso: Nuntius discessit angelicus, & ventris hospitium ingreditur Deus. *Sermon. 193. in Append.*

FERIA VI.

Consideret Homo Christianus, quomodo Dominicæ Incarnationis mysterium in Beatissima Virgine, post Angeli salutationem, & præstito illius consensu, sit peractum.

RESponde jam Virgo sacra: vitam quid tricas mundo? Assensum tuum Angelus præstolatur; inde est, quòd nuntius iste moratur. Jam audisti, *quomodo fiet istud*: quoniam *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, (*Luc. 1.*) ut prolem gignas, & virginitatem non perdas. Janua cœli quondam per Adam clausa jam sonuit, per ipsam internuntius iste processit. Deus in porta est, Angelum quem moraris expectat. O Beata Maria, sæculum omnem captivum tuum deprecatur assensum: te Domino mundus suæ fidei obsidem fecit, per te parentum suorum injurias abstergi deprecatur. Ipse prior qui offensus est misit, claustrum quod iniqui-

tas

tas nostra cœlo infixerat, reseravit. Est
nobis aditus, si assensus tuus fuerit com-
modatus. Nuptias Filio suo in tuo thala-
mo præparavit Deus: in ipsis sponsalibus
gaudiis relaxavit quidquid eum offende-
rat mundus. O & tu, Angele tanti Re-
gis nuntie & secreti divini legate, qui
ex palatio Imperatoriæ Majestatis indul-
gentiam reis, vitam mortuis, & pacis
sacramenta attulisti captivis, urge Virgi-
nem non de Dei munere diffidentem, sed
de muneris magnitudine cogitantem: fa-
ve partibus sæculi, conscius secretorum
cœli. Lætabuntur socii tui, si negotium
juveris mundi. Nos à vestro consortio
impietatis nostræ mucro divisit: per vos
de reditu nostro tractatur. Inspice squa-
lentem carceris nostri miseriam, & lo-
quere festinus ad Mariam: Usquequò mo-
raris, ò Virgo, nuntium festinantem? In-
tuere Deum in cœli me vestibulo susti-
nentem: responde verbum, & suscipe fi-
lium; da fidem, & senti virtutem: pan-
de sinus roseos, Virgo perpetua; fides
tua modò aut aperit cœlum, aut claudit:
Ecce, inquit, *ancilla Domini*: introeat Rex
in cubiculum suum, *fiat mihi secundùm
verbum tuum*. Nec mora, revertitur nun-
tius, & nuptialem thorum ingreditur
Christus. Accipit stolam carnis intra tha-
lamum Virginis, intra thesaurum majesta-
tis sacculum carnis. Divinitati sponsatur
homo, præmium accipit caro, *Serm.* 120.
in Append. Divina operante potentia cre-

dentis viſcera fœcundantur, & in ligno mortali vitæ arbor inſeritur, & portans in ſe omnia virtus ab infirmitate portatur: & qui terra, mari, cœloque non capitur, intra unius corpuſculi membra ſuſcipitur. De creatura ſua Creator omnium procreatur, & de rivulo ſuo fons magnus exoritur: radix omnium de virgulto ſuo naſcitur, & vitis vera palmitis ſui fructus efficitur. Intrat Artifex mundi anguſtias ventris humani, efficitur gravida Mater intacta: & ecce tamquam ſponſus de thalamo, Mariæ Chriſtus procedit ex utero. Occultatur in membris infantis potentia majeſtatis, Deus pendet ad ubera genitricis. Pannorum vilium ſqualore contegitur, duriſſimi ſuffert præſepis anguſtias, & totum miſericors humiliter patitur, dummodo mundus qui perierat, liberaretur. O beata infantia, per quam noſtri generis vita eſt reparata! O gratiſſimi, delectabileſque vagitus, per quos ſtridores dentium æternoſque ploratus evaſimus! O felices panni, quibus peccatorum ſordes exterſimus! O præſepe ſplendidum, in quo non ſolùm jacuit fœnum animalium, ſed cibus inventus eſt Angelorum! *Serm. 119. in Append.*

SABBATO.

Dominica Incarnatio est Sacratissima conjunctio Verbi divini & naturæ humanæ in unitate personæ.

INvisibilem Creatorem pro nobis visibilem factum, à quo invisibili & ipsa creata est, visceribus fœcundis & genitalibus integris Virgo mater effudit. Concipiens Virgo, pariens Virgo, Virgo gravida, Virgo fœta, Virgo perpetua. Quid miraris hæc, ò homo? Deum sic nasci oportuit, quando esse dignatus est homo. Talem fecit illam, qui est factus ex illa. Antequam enim fieret, erat: & quia omnipotens erat, fieri potuit manens quod erat. Fecit sibi matrem, cùm esset apud Patrem: & cùm fieret ex matre, mansit in Patre. Quomodo Deus esse desisteret, cùm homo esse cœpit, qui Genitrici suæ præstitit ne desisteret virgo esse, cùm peperit? Proinde quòd Verbum caro factum est, non Verbum in carnem pereundo cessit; sed caro ad Verbum, ne ipsa periret, accessit: ut quemadmodum homo est anima & caro, sic esset Christus Deus & homo. Idem Deus qui homo, & qui Deus idem homo: non confusione naturæ, sed unitate personæ. Denique qui Filius Dei generanti est coæternus semper ex Patre, idem Filius hominis esse cœpit ex Virgine. Ac sic & Filii divinitati est addita humanitas; & tamen non est personarum facta quaternitas, sed permanet

trinitas, *Serm.* 186. Ipſe eſt filius hominis, qui & Filius Dei. Hærendo enim ad unitatem perſonæ filius hominis Filio Dei, facta eſt una perſona, eademque Filius Dei, & filius hominis. Quid autem propter quid habeat, dignoſcendum eſt. Filius hominis habet animam, habet corpus. Filius Dei, quod eſt Verbum Dei, habet hominem, tamquam anima corpus. Sicut anima habens corpus, non facit duas perſonas, ſed unum hominem: ſic Verbum habens hominem, non facit duas perſonas, ſed unum Chriſtum. Quid eſt homo? Anima rationalis habens corpus. Quid eſt Chriſtus? Verbum Dei habens hominem, *Tractat.* 19. *in Joan.* Nam ſicut in unitate perſonæ anima unitur corpori, ut homo ſit: ita in unitate perſonæ Deus unitur homini, ut Chriſtus ſit. In illa ergo perſona mixtura eſt animæ & corporis; in hac perſona mixtura eſt Dei & hominis: ſi tamen recedat auditor à conſuetudine corporum, qua ſolent duo liquores ita commiſceri, ut neuter ſervet integritatem ſuam; quamquam & in ipſis coporibus aeri lux incorrupta miſceatur. Ergo perſona hominis, mixtura eſt animæ & corporis: perſona autem Chriſti, mixtura eſt Dei & hominis. Cùm enim Verbum Dei permixtum eſt animæ habenti corpus, ſimul & animam ſuſcepit & corpus. Illud quotidie fit ad procreandos homines: hoc ſemel factum eſt ad liberandos homines.

Ver-

Verbum igitur Dei, idemque Dei Filius, Patri coæternus, eademque Virtus & Sapientia Dei, à superno fine creaturæ rationalis usque ad infimum finem creaturæ corporalis attingens fortiter, & disponens omnia suaviter, præsens & latens, nusquam conclusa, nusquam discissa, nusquam tumida, sed sine mole ubique tota, longè alio modo quodam, quàm eo quo creaturis cæteris adest, suscepit hominem, seque & illum fecit unum Jesum Christum, mediatorem Dei & hominum, æqualem Patri secundùm divinitatem, minorem autem Patre secundùm carnem, hoc est, secundùm hominem; incommutabiliter immortalem secundùm æqualem Patri divinitatem, eumdemque mortalem atque mutabilem secundùm cognatam nobis infirmitatem. Ipsa magnitudo virtutis ejus, quæ nullas in angusto sentit angustias, uterum virginalem non adventitio, sed indigena puerperio fœcundavit; ipsa sibi animam rationalem, & per eamdem etiam corpus humanum, totumque omnino hominem in melius mutandum, nullo modo in deterius mutata coaptavit: nomen humanitatis ab eo dignanter assumens, divinitatis ei largiter tribuens. Ipsa virtus per inviolatæ Matris virginea viscera membra infantis eduxit, quæ posteà per clausa ostia membra juvenis introduxit. Hìc si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fa-

teamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis, *Epist.* 137. *num.* 8. 11. & 12.

Dominica II. Adventus.

Non tantùm æterna, sed etiam temporalis Christi nativitas, mysterium est adeò sublime, ut nec humano intellectu comprehendi, nec lingua explicari possit.

NAtus est de Patre semper, de matre semel: de Patre sine sexu, de matre sine usu. Apud Patrem quippe defuit concipientis uterus, apud matrem defuit seminantis amplexus. Prima nativitas ex Patre naturam servavit: secunda nativitas ex matre gratiam seminavit. Illa tenuit majestatem divinæ substantiæ, ista suscepit societatem mortalitatis humanæ. In hac autem ideò venire dignatus est, ut fieret obediens usque ad mortem, & moriendo vinceret mortem. Utraque nativitas ineffabilis, utraque mirabilis. Quod enim cor humanum comprehendere, quæve lingua valeat explicare, quomodo natus sit Christus semper ex Deo, aut quomodo nuper ex utero? Quis intelligat coæternum Filio Patrem, quis eloquatur Virginem matrem? Illum sine initio, sine fine gignentem; istam sine libidine concipientem, sine corruptione parientem? Utraq; nativitas mira est, quia divina est. Sive ergo illam, sive istam mens humana consideret, rectissimè dicit:

Gene-

Generationem ejus quis enarrabit? (*Isa.* 53.) *Serm.* 372. Filium Dei, ſicut eſt apud Patrem æqualis illi & coæternus, in quo condita ſunt omnia in cœlo & in terra, viſibilia & inviſibilia, Verbum Dei & Deum, vitam & lucem hominum, ſi laudare moliamur, non mirum eſt quòd nulla humana cogitatio, nullus ſermo ſufficiat. Quomodo enim laudare cignè valeat lingua noſtra, quem cor noſtrum adhuc videre non valet, ubi oculum condidit quo poſſit videri, ſi purgetur iniquitas, ſi ſanetur infirmitas, & fiant beati mundo corde, quia ipſi Deum videbunt? Non mirum eſt, inquam, nos non invenire, quibus verbis unum Verbum dicamus, in quo dictum eſt ut eſſemus, qui de illo aliquid diceremus. Hæc enim verba cogitata atque prolata mens noſtra format, illo autem Verbo ipſa formatur. Nec eo modo facit homo verba, quo modo eſt factus ipſe per Verbum: quia nec eo modo genuit Pater unicum Verbum, quo modo fecit cuncta per Verbum. Deum quippe genuit Deus; ſed ſimul gignens & genitus unus eſt Deus. Mundum autem fecit Deus; mundus tranſit, & permanet Deus. Et ſicut ea quæ facta ſunt, ſe ipſa utique non fecerunt: ſic à nullo factus eſt, per quem fieri omnia potuerunt. Non igitur mirum, ſi homo factus inter omnia, verbis non explicat Verbum, per quod facta ſunt omnia. *Serm.* 188. Hoc firmum & fixum tenete, ſi vultis perſeverare Catholici, quia Deus

Pa-

Pater Deum filium genuit sine tempore, & fecit ex Virgine in tempore. Nativitas illa excedit tempora: nativitas ista illuminat tempora. Ambæ tamen nativitates mirabiles: illa sine matre, ista sine patre. Quando genuit Deus Filium, de se genuit, non de matre: quando genuit mater filium, virgo genuit, non de viro. De Patre natus est sine initio: de matre natus est certo initio. De Patre natus fecit nos: de matre natus refecit nos. De Patre natus est, ut essemus: de matre natus est, ne periremus. *Serm.* 140.

FERIA II.

Incarnatio ac Nativitas Verbi divini quàm grande sit miraculum.

C*Antate Domino, & benedicite nomini ejus: benedicite de die in diem salutare ejus.* (*Psalm.* 95.) Quis est dies de die, nisi Filius de Patre, lumen de lumine? Sed dies ille hunc genuit diem, qui de Virgine natus est. Dies ergo ille non habet ortum, non habet occasum. Diem dico Patrem Deum. Quid est dies, nisi lumen? Non oculorum carnalium, non lumen commune cum pecoribus; sed lumen quod Angelis lucet, lumen cui videndo corda purgantur. Transit ista nox in qua modò vivimus, in qua nobis accenduntur lucernæ Scripturarum: & veniet illud quod in Psalmo canitur, *Mane astabo tibi, & contemplabor te.* (*Ps.* 5.) Dies ergo ille, Verbum

Dei,

Dei, dies qui lucet Angelis, dies qui lucet in illa unde peregrinamur patria, vestivit se carne, natusque est de Maria Virgine. Mirabiliter natus. Quid mirabilius Virginis partu? Concipit, & Virgo est; parit, & Virgo est. Creatus est de ea quam creavit: attulit ei fœcunditatem, non corrupit ejus integritatem. *Serm.* 189. Quid nobis præstiterit tantæ sublimitatis humilitas, fides habet Christianorum, remotum est à cordibus impiorum; (*Matth.* 12.) quoniam abscondit Deus hæc à sapientibus & prudentibus, & revelavit ea parvulis. Teneant ergo humiles humilitatem Dei: ut in hoc tanto adjumento, tamquam in infirmitatis suæ jumento, perveniant ad altitudinem Dei. Sapientes autem illi & prudentes, dum alta Dei quærunt, & humilia non credunt, ista prætermittentes, & propter hoc nec ad illa pervenientes, inanes & leves, inflati & elati, & tamquam inter cœlum & terram in ventoso medio penderunt. Sunt enim sapientes & prudentes, sed hujus mundi, non illius à quo factus est mundus. Nam si esset in eis vera sapientia, quæ Dei est & Deus est, intelligerent à Deo carnem potuisse suscipi, nec eum in carnem potuisse mutari: intelligerent eum assumpsisse quod non erat, & permansisse quod erat; & in homine ad nos venisse, & à Patre non recessisse; & id eum perseverasse quod est, & nobis apparuisse quod sumus; & corpori infantili potentiam esse inditam, & mun-

mundanæ moli non esse subtractam. Cujus opus est apud Patrem manentis mundus universus, hujus opus est ad nos venientis virginis partus. Dedit quippe indicium majestatis ejus virgo mater, quàm virgo ante conceptum, tam virgo post partum; à viro prægnans inventa, non facta: gravida masculo, sine masculo: felicior atque mirabilior fœcunditate addita, integritate non perdita. Hoc tam grande miraculum malunt illi fictum putare, quàm factum. Ita in Christo homine & Deo, credere quoniam non possunt humana, contemnunt; quoniam non possunt contemnere divina, non credunt. Nobis autem quantò illis abjectius, tantò sit gratius in humilitate Dei hominis corpus: & quantò illis est impossibilior, tantò sit divinior in hominis nativitate virginis partus. *Serm.* 184. Miramur Virginis partum, & novum ipsum nascendi modum incredulis persuadere conamur, quòd in utero non seminato germen prolis exortum est, & à complexu carnis viscera immunia filium hominis protulerunt, cujus patrem hominem non tulerunt: quòd virginitatis integritas & in conceptu clausa, & in partu incorrupta permansit. Mira est ista potentia, sed plus miranda est misericordia, quòd ille qui sic nasci potuit, sic nasci voluit. Erat enim jam unicus Patri, qui unicus natus est matri: & ipse est factus in matre, qui sibi fecerat matrem: post matrem de matre factus, an-

te

te omnia de Patre non factus: sine quo Pater numquam fuit, sine quo mater numquam fuisset. *Serm.* 192.

FERIA III.

Quanta mirabilia in Dominica Incarnatione & Nativitate contineantur.

LAudem Domini loquetur os meum: ejus Domini, per quem facta sunt omnia, & qui est factus inter omnia: qui est Patris revelator, matris Creator: Filius Dei de Patre sine matre, Filius hominis de matre sine patre: magnus dies Angelorum, parvus in die hominum: Verbum Deus ante omnia tempora, Verbum caro opportuno tempore: conditor solis, conditus sub sole: effector cœli & terræ, sub cœlo exortus in terra: ineffabiliter sapiens, sapienter infans: mundum implens, in præsepio jacens: sidera regens, ubera lambens: ita magnus in forma Dei, brevis in forma servi; ut nec ista brevitate magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine ista brevitas premeretur. Neque enim quando membra humana suscepit, opera divina deseruit: nec attingere à fine usque ad finem fortiter, & disponere omnia suaviter destitit, quando infirmitate carnis indutus, virginali utero receptus est, non inclusus; ut nec Angelis subtraheretur sapientiæ cibus, & nos gustaremus quàm suavis sit Dominus. Quid hoc miramur de Verbo Dei, cum

ser-

ſermo iſte quem promimus, ita liber ſenſibus influat, ut eum & recipiat, & non includat auditor? Nam niſi reciperetur, neminem inſtrueret: ſi includeretur, ad alios non veniret. Et utique ſermo iſte verbis ſyllabiſque dividitur: nec tamen ex eo tamquam ex cibo ventris ſingulas particulas tollitis; ſed omnes totum auditis, totum ſinguli capitis. Nec timemus dum loquimur, ne totum audiendo unus ſumat, nec alter poſſit habere quod ſumat: ſed ita vos attentos eſſe volumus, nullius aurem mentemque fraudantes, ut & totum ſinguli audiatis, & totum ad audiendum cœteris relinquatis. Neque hoc fit alternis temporibus, ut cùm ſermo qui dicitur ad te primùm intraverit, exeat à te, ut ad alium poſſit intrare: ſed ſimul ad omnes venit, & totus ad ſingulos pervenit. Et ſi totus memoria teneri valuiſſet, ſicut ad totum audiendum omnes veniſtis, ita cum toto ſinguli rediretis. Quantò magis Verbum Dei, per quod facta ſunt omnia, & quod in ſe manens innovat omnia; quod nec locis concluditur, nec temporibus tenditur, nec morulis brevibus longiſque variatur, nec vocibus texitur, nec ſilentio terminatur; quantò magis hoc tantum & tale Verbum potuit matris uterum aſſumpto corpore fœcundare, & de ſinu Patris non emigrare? hinc ad oculos humanos exire, inde mentes Angelicas illuſtrare? hinc ad terras procedere, inde cœlos extendere?

hinc

hinc homo fieri, inde homines facere? Nemo ergo credat Dei Filium conversum & commutatum esse in hominis filium: sed potiùs credamus & non consumpta divina & perfectè assumpta humana substantia, manentem Dei Filium, factum hominis filium, Neque enim quia dictum est, *Deus erat Verbum, & Verbum caro factum est*; (*Jo.* 1.) sic Verbum caro factum est, ut esse desineret Deus: quando in ipsa carne quod Verbum caro factum est, Emmanuel natum est, *nobiscum Deus*. Quia Dei Verbum, quod manet in æternum, caro factum est, ut habitaret in nobis, propter Dei formam latentem, sed manentem, sicut nuntiavit Gabriel, vocamus nomen ejus Emmanuel. (*Matth.* 1.) Factus est enim homo, permanens Deus, ut & filius hominis rectè vocetur, *Nobiscum Deus*: non alter Deus, alter homo, Exultet itaque in credentibus mundus, quibus salvandis venit per quem factus est mundus. Conditor Mariæ, natus ex Maria: filius David, Dominus David: semen Abrahæ, qui est ante Abraham: factor terræ, factus in terra: creator cœli, creatus sub cœlo. *Serm.* 187.

FERIA IV.

Charitas & misericordia Dei erga hominem quantùm in Dominica Incarnatione reluceat.

SIc *in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.* (*Ps.* 62.)

In ſancto appareamus Deo, ut appareat nobis: appareamus illi in ſancto deſiderio, ut appareat nobis in potentia & gloria Filii Dei. Multis enim non apparuit: ſint in ſancto, ut appareat & illis. Nam multi putant illum tantummodo hominem fuiſſe, quia prædicatur natus ex homine, crucifixus & mortuus, ambulaſſe in terra, manducaſſe & bibiſſe, & cætera egiſſe quæ ſunt humana; & putant illum talem fuiſſe, quales ſunt cæteri homines. Audiſtis autem, cùm Euangelium legeretur, quomodo commendavit majeſtatem ſuam: *Ego & Pater unum ſumus*. (*Joan.* 10.) Ecce quanta majeſtas, & quanta æqualitas Patris deſcendit ad carnem propter infirmitatem noſtram. Ecce quantum dilecti ſumus, antequam Deum diligeremus. Si antequam Deum diligeremus, tantum ab illo dilecti ſumus, ut æqualem ſibi Filium ſuum hominem faceret propter nos, quid nobis ſervat jam diligentibus ſe? Ergo multi neſcio quid minimum putant apparuiſſe in terra Filium Dei; quia non ſunt in ſancto, non eis apparet potentia ipſius & gloria ipſius, id eſt, quia nondum ſanctificatum habent cor, unde intelligant eminentiam virtutis illius, & gratias agant Deo, quia propter ipſos tantus quò venit, ad quam nativitatem, ad quam paſſionem, non poſſunt videre gloriam ipſius & potentiam ipſius. *Enar. in Pſ.* 62. *n.* 11. Quas itaque laudes charitati Dei dicamus, quas gratias agamus? Qui nos ita dilexit, ut propter nos fieret in

tem-

tempore, per quem facta sunt tempora; & multis servis suis in mundo minor esset ætate, ipso mundo antiquior æternitate; homo fieret qui hominem fecit, crearetur ex matre quam creavit, portaretur manibus quas formavit, sugeret ubera quæ implevit, in præsepi muta vagiret infantia Verbum, sine quo muta est humana eloquentia. Vide, ò homo, quid pro te factus est Deus: doctrinam tantæ humilitatis agnosce etiam in nondum loquente Doctore. Tu quondam in paradiso tam facundus fuisti, ut omni animæ vivæ nomina imponeres: propter te autem Creator tuus infans jacebat, & nomine suo nec matrem vocabat. Tu in latissimo fructuosorum nemorum prædio te perdidisti, obedientiam negligendo: ille obediens in angustissimum diversorium mortalis venit, ut mortuum quæreret moriendo. Tu cùm esses homo, Deus esse voluisti, ut perires: ille cùm esset Deus, homo esse voluit, ut quod perierat inveniret. Tantum te pressit humana superbia, ut te non posset nisi humilitas sublevare divina. *Serm.* 188. Dormiebas, venit ad te: gravi opprimebaris somno, excitavit te: viam tibi fecit per se, ne perderet te. Ergo *veritas de terra orta est*, quia Christus de Virgine natus est: *justitia de cœlo prospexit*, ut per justitiam homines resipiscerent, qui per injustitiam desipuerunt. Mortales eramus, peccatis opprimebamur, pœnas nostras portabamus. Omnis homo quando nascitur, à

mi-

miſeria inchoat. Noli quærere prophetantem: interroga naſcentem, vide flentem. Cum hæc eſſet in terra Dei indignatio, qualis ſubitò facta eſt dignatio? *Veritas de terra orta eſt*. Creavit omnia, creatus eſt inter omnia. Fecit diem, venit in diem. *Serm.* 189.

FERIA V.

Dominicæ Incarnationis quanta fuerit convenientia.

CUm illa veritate perfruendum ſit, quæ incommutabiliter vivit, & in ea Trinitas Deus, auctor & conditor univerſitatis, rebus quas condidit conſulat, purgandus eſt animus, ut & perſpicere illam lucem valeat, & inhærere perſpectæ. Quam purgationem quaſi ambulationem quamdam, & quaſi navigationem ad patriam eſſe arbitremur. Non enim ad eum qui ubique præſens eſt, locis movemur, ſed bono ſtudio, boniſque moribus. Quod non poſſemus, niſi ipſa Sapientia tantæ etiam noſtræ infirmitati congruere dignaretur, & vivendi nobis præberet exemplum, non aliter quàm in homine, quoniam & nos homines ſumus. Sed quia nos cùm ad illam venimus, ſapienter facimus; ipſa cùm ad nos venit, ab hominibus ſuperbis quaſi ſtultè feciſſe putata eſt. Et quoniam nos cùm ad illam venimus, convaleſcimus; ipſa cùm ad nos venit, quaſi infirma exiſtimata eſt. Sed *quod ſtultum eſt Dei, ſa-*

pien-

pientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. (1. Cor. 1.) Cùm ergo ipsa sit patria, viam se quoque nobis fecit ad patriam. Et cùm sano & puro interiori oculo ubique sit præsens, eorum qui oculum illum infirmum immundumque habent, oculis etiam carneis apparere dignata est. *Quia enim in sapientia Dei non poterat mundus per sapientiam cognoscere Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* (*Ibid.*) Non igitur per locorum spatia veniendo, sed in carne mortali mortalibus apparendo, venisse ad nos dicitur. Illuc ergo venit ubi erat, quia in hoc mundo erat, & mundus per eam factus est. Sed quoniam cupiditate fruendi pro ipso Creatore creatura, homines configurati huic mundo, & mundi nomine congruentissimè vocati, non eam cognoverunt, idcircò dixit Evangelista, *Et mundus eum non cognovit.* (*Joa.* 1.) Itaque in sapientia Dei non poterat mundus per sapientiam cognoscere Deum. Cur ergo venit cùm hìc esset, nisi quia placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes? Quomodo venit, nisi quòd Verbum caro factum est, & habitavit in nobis? Sicuti cùm loquimur, ut id quod animo gerimus, in audientis animum per aures carneas illabatur, fit sonus verbum quod corde gestamus, & locutio vocatur; nec tamen in eumdem sonum cogitatio nostra convertitur, sed apud se manens integra, formam vocis, qua se insi-
nuet

nuet auribus, sine aliqua labe suæ mutationis assumit: ita Verbum Dei non commutatum, caro tamen factum est, ut habitaret in nobis. Sicut autem curatio via est ad sanitatem, sic ista curatio peccatores sanandos reficiendosque suscepit. Et quemadmodum medici cùm alligant vulnera, non incompositè, sed aptè id faciunt, ut vinculi utilitatem quædam pulchritudo etiam consequatur: sic medicina Sapientiæ per hominis susceptionem nostris est accommodata vulneribus, de quibusdam contrariis curans, & de quibusdam similibus. Sicut etiam ille qui medetur vulneri corporis, adhibet quædam contraria, sicut frigidum calido, vel humidum sicco, vel si quid aliud hujusmodi; adhibet etiam quædam similia, sicut linteolum vel rotundo vulneri rotundum, vel oblongum oblongo, ligaturamque ipsam non eamdem membris omnibus, sed similem similibus coaptat: Sic Sapientia Dei hominem curans, seipsam exhibuit ad sanandum, ipsa medicus, ipsa medicina. Quia ergo per superbiam homo lapsus est, humilitatem adhibuit ad sanandum. Serpentis sapientia decepti sumus, Dei stultitia liberamur. Quemadmodum autem illa sapientia vocabatur, erat autem stultitia contemnentibus Deum; sic ista quæ vocatur stultitia, sapientia est vincentibus Diabolum. Nos immortalitate malè usi, ut moreremur; Christus mortalitate bene usus est, ut viveremus. Corrupto animo foe-

fœminæ ingreſſus eſt morbus; integro corpore fœminæ proceſſit ſalus. Ad eadem contraria pertinet, quòd etiam exemplo virtutum ejus vitia noſtra curantur. Jam verò ſimilia quaſi ligamenta membris & vulneribus noſtris adhibita, illa ſunt, quòd per fœminam deceptos per fœminam natus, homo homines, mortalis mortales, morte mortuos liberavit. *L.* 1. *de Doct. Chriſt. c.* 10. *& ſeq.*

FERIA VI.

Quanta nobis bona & beneficia per Incarnationem Verbi divini ſint collata.

V*Eritas de terra orta eſt, & juſtitia de cœlo proſpexit.* (*Pſalm.* 84.) Veritas quæ eſt in ſinu Patris, de terra orta eſt, ut eſſet etiam in ſinu matris. Veritas qua mundus continuetur, de terra orta eſt, ut fœmineis manibus portaretur. Veritas qua beatitudo Angelorum incorruptibiliter alitur, de terra orta eſt, ut carnalibus uberibus lactaretur. Veritas, cui cœlum non ſufficit, de terra orta eſt, ut in præſepio poneretur. Cujus bono in tanta humilitate venit tanta ſublimitas? Nullo utique ſuo, ſed magno, ſi credimus, noſtro. Expergiſcere homo: pro te Deus factus eſt homo. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* (*Eph.* 5.) Pro te, inquam, Deus factus eſt homo. In æternum mortuus eſſes, niſi in tempore

natus esset. Numquam liberareris à carne peccati, nisi suscepisset similitudinem carnis peccati. Perpetua te possideret miseria nisi fieret hæc misericordia. Non revixisses, nisi tuæ morti convenisset. Defecisses, nisi subvenisset. Perisses, nisi venisset. *Serm.* 185. Cùm factus est Adam, homo scilicet rectus, Mediatore non opus erat. Cùm verò genus humanum peccata longè separaverunt à Deo, per Mediatorem, qui solus sine peccato natus est, vixit, occisus est, reconciliari nos oportebat Deo usque ad carnis resurrectionem in vitam æternam; ut humana superbia per humilitatem Dei argueretur ac sanaretur, & demonstraretur homini quàm longè à Deo recesserat, cùm per incarnatum Deum revocaretur, & exemplum obedientiæ per hóminem Deum contumaci homini præberetur; & Unigenito suscipiente formam servi, quæ nihil ante meruerat, fons gratiæ panderetur; & carnis etiam resurrectio redemptis promissa in ipso Redemptore præmonstraretur; & per eamdem naturam, quam se decepisse lætabatur, diabolus vinceretur; nec tamen homo gloriaretur, ne iterum superbia nasceretur: & si quid aliud de tanto Mediatoris sacramento à proficientibus videri & dici potest, aut tantùm videri, etiamsi dici non potest: *In Enchyr. cap.* 108. Hæc omnia, Charissimi, si quæramus cur facta sunt, inveniemus facta pro nobis. Descendit enim, ut ascenderemus; mortuus est, ut viveremus; resurre-

xit;

xit, ut resurgeremus; ascendit in cœlum, ut terrena contemnere, & cor sursum erigere disceremus. Denique ut levaret post se spem nostram, levavit primò carnem suam: & ut speraremus hoc secuturum in nobis, illud præcessit quod accepit ex nobis. *Serm.* 372. Et ego quidem, Fratres, licèt magnos vos semper in conscientia mea fecerim, tamen majores quodammodo vos res mihi ista efficit, cùm intendo quanta sit Domini mei pro homine dignatio. Vos utique estis Dominicæ Incarnationis, vos Dominici sanguinis pretium, vos membra Christi, vobis caput Christus est: pro vobis nasci, pro vobis pati cuncta non distulit; crucem quoque ipsam ad hoc pertulit, ut vos sibi in familiam coaptaret. Vos appellamini Christi Fratres; vos appellamini Christi hæredes. Proinde, Dilectissimi, unusquisque dignum seipsum habeat, coram quo peccare non debeat: dignum se existimet, coram quo si delictum cogitaverit, erubescat. *Pretio enim magno empti estis: glorificate & portate Deum in corpore vestro.* (1. *Cor.* 16.) Hic pro vobis natus est, hic pro vobis oblatus est; hic etiam, si dignè agatis, habitat in vobis: Agamus ergo, meditantes in lege Domini die ac nocte, ut comprehendere eum, ut videre mereamur. Agamus, ut quia dignatus est descendere propter homines Deus, ad Deum homo possit ascendere. *Serm.* 371.

SABBATO.

Verbi Divini Incarnatio quanta sit gratia.

HUmanus sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. (1. Tim. 1.) Humanus ergo sermo, & omni acceptione dignus. Quare humanus, & non divinus? Procul dubio nisi iste humanus sermo etiam divinus esset, dignus omni acceptione non esset. Sed sic est sermo iste humanus & divinus, quomodo est ipse Christus & homo & Deus. Si ergo rectè intelligimus sermonem istum non solùm humanum esse, verùm etiam divinum; quare Apostolus humanum maluit dicere quàm divinum? Procul dubio enim qui non mentiretur, si diceret divinum, non sine causa maluit dicere humanum. Hoc ergo elegit, per quod Christus in mundum venit. Venit enim per quod homo erat. Nam per quod Deus erat, semper hìc erat. Ubi enim non est Deus, qui dixit, *Cœlum & terram ego impleo?* (*Jerem.* 23.) Christus est certè virtus & sapientia Dei, de qua dicitur, *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* (*Cap.* 8.) Ergo in hoc mundo erat, & mundus per eum factus est, & mundus eum non cognovit. (*Joan.* 1.) Et hìc erat, & venit: hìc erat per divinam majestatem, venit per humanam infirmi-

firmitatem. Quia ergo venit per infirmitatem humanam, ideo prædicans adventum ejus, dixit, *Humanus sermo*. Non liberaretur humanum genus, nisi sermo Dei dignaretur esse humanus. Nam & homo ille dicitur humanus, qui se exhibet hominem & maximè qui hospitio suscipit hominem. Si ergo humanus dicitur qui in domo sua suscipit hominem, quàm humanus est qui in seipso suscepit hominem? Ergo *Humanus sermo & omni acceptione dignus; quia Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere*. (*Luc.* 19.) Attende Evangelium: *Venit enim Filius hominis quærere & salvare quod perierat*. Si homo non perisset, Filius hominis non venisset. Ergo perierat homo, venit Deus homo, & inventus est homo. Perierat homo per liberam voluntatem: venit Deus homo per gratiam liberatricem. Quæris quid valeat ad malum liberum arbitrium? Recole hominem peccantem. Quæris quid valeat ad auxilium Deus & homo? Attende in eo gratiam liberantem. Nusquam potuit sic ostendi, quantum valeat voluntas hominis usurpata per superbiam, ad vitandum sine adjutorio Dei malum; non potuit plus & manifestiùs exprimi, quàm in homine primo. Et ecce periit primus homo, & ubi esset, nisi venisset secundus homo? Quia & ille homo, ideo & iste homo, & ideo *humanus sermo*. Prorsus nusquam sic apparet benignitas gratiæ & liberalitas omnipotentiæ Dei, quàm in homine Mediatore Dei & hominum,

homine Christo Jesu. *Serm.* 174. Nam quæ major gratia Dei nobis potuit illucescere, quàm ut habens Unigenitum Filium, faceret eum hominis filium; atque ita vicissim hominis filium, faceret Dei Filium? Quære meritum, quære causam, quære justitiam; & vide utrùm invenias nisi gratiam. *Serm.* 185.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Verbum Divinum est incarnatum, ut nos è captivitate Dæmonis liberaret.

EX prima transgressione primi hominis, universum genus humanum natum cum obligatione peccati, victor Diabolus possidebat. Si enim sub captivitate non teneremur, Redemptore non indigeremus. Venit ad captivos non captus: venit ad captivos redimendos nihil in se captivitatis, hoc est, iniquitatis habens, sed carne mortali pretium nostrum portans. Si enim carnem mortalem non haberet, unde in Verbo sanguis, quem pro captivis funderet? Ille autem qui ad captivitatem nostram venit cum similitudine carnis peccati, non cum carne peccati venit. Similitudo enim erat illa carnis peccati: vera caro, sed similis carni peccati: vera caro, sed non peccati caro. Ille ergo qui ita venit, quis erat? *Bene nuntiate de die in diem.* (*Psalm.* 95.) Ecce quis erat. De die in diem erat, Deus de Deo erat, lu-

lumen de lumine erat: sed Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis: latens majestas, apparens infirmitas, ut moriatur infirmitas, & teneatur majestas. *Serm.* 27. Servi tui sumus: creatura tua sumus: fecisti nos, redemisti nos. Emere potest quisque servum suum, creare non potest: Dominus autem servos suos & creavit & redemit: creavit, ut essent; redemit, ne semper captivi essent. Incidimus enim in Principem hujus sæculi, qui seduxit Adam & servum fecit, & cœpit nos tamquam vernaculos possidere. Sed venit Redemptor, & victus est deceptor. Et quid fecit Redemptor noster captivatori nostro? Ad pretium nostrum tetendit muscipulam crucem suam: posuit ibi quasi escam sanguinem istum fundere, non meruit bibere. Et in eo quod fudit sanguinem non debitoris, jussus est reddere debitores; fudit sanguinem innocentis, jussus est recedere à nocentibus. Ille quippe sanguinem suum ad hoc fudit, ut peccata nostra deleret. Unde ergo ille nos tenebat, deletum est sanguine Redemptoris. Non enim tenebat nos nisi vinculis peccatorum nostrorum. Istæ erant catenæ captivorum. (*Matth.* 12.) Venit ille, alligavit fortem vinculis passionis suæ: intravit in domum ejus, id est, in corda eorum ubi ipse habitabat, & vasa ejus arripuit. Nos sumus vasa. Ista impleverat ille amaritudine sua. Hanc amaritudinem etiam nostro Redemptori in felle propinavit. Im-

pleverat ergo nos ille tamquam vasa sua: Dominus autem noster arripiens vasa ejus, & sua faciens, fudit amaritudinem, implevit dulcedine. Amemus ergo eum, quia dulcis est. Gustate, & videte quia suavis est Dominus. (*Psal. 33.*) Timendus est, sed plus amandus est. Homo & Deus est; unus Christus homo & Deus est; quomodo unus homo, anima & corpus: non autem Deus & homo duæ personæ. In Christo duæ sunt quidem substantiæ, Deus & homo: sed una persona, ut Trinitas maneat, non accedente homine quaternitas fiat. Quomodo ergo fieri potest, ut nostri non misereatur Deus, propter quos homo factus est Deus? Multum est quod fecit: mirabilius est quod fecit, quàm quod promisit; & ex eo quod fecit, debemus credere quod promisit. *Serm.* 130.

FERIA II.

Venit Christus ut haberemus Mediatorem, qui nos Deo reconciliaret.

PRo *Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo:* (2. *Cor.* 5.) id est, tamquam vos Christus obsecret. Quid? *reconciliari Deo.* Si exhortatur & obsecrat Apostolus ut reconciliemur Deo, inimici eramus Deo. Nemo enim reconciliatur nisi ex inimicitiis. Inimicos autem nos non natura,

tura, ſed peccata fecerunt. Unde inimici illius, inde ſervi peccati. Non habet Deus liberos inimicos, neceſſe eſt ſervi ſint: & ſervi remanebunt, niſi ab illo liberentur, cui peccando inimici eſſe voluerunt. *Obſecramus ergo*, inquit, *pro Christo, reconciliari Deo*. Quomodo autem reconciliamur, niſi ſolvatur, quod inter nos & ipſum ſeparat? Ait enim per Prophetam, *Non gravavit aurem ne audiat, ſed peccata veſtra ſeparant inter vos & Deum*. (*Iſa.* 59.) Quia ergo non reconciliamur, niſi ablato quod in medio eſt, & poſito quod in medio ſit. Eſt enim medium ſeparans, ſed contrà eſt Mediator reconcilians: medium ſeparans eſt peccatum, Mediator reconcilians eſt Dominus Jeſus Chriſtus: *Unus enim Deus, & unus Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus*. (1. *Tim.* 2.) Ut ergo tollatur materia ſeparans quod eſt peccatum, venit ille Mediator, & factus eſt ſacrificium Sacerdos ipſe. *Tract.* 41. *in Joan.* Angeli, qui non lapſi ſunt à conſpectu Dei, Mediatore non opus habent, per quem reconcilientur. Item Angeli qui nullo ſuadente ſpontanea prævaricatione ſic lapſi ſunt, per Mediatorem non reconciliantur. Reſtat ergo, ut qui Mediatore ſuperbo Diabolo ſuperbiam perſuadente dejectus eſt, Mediatore humili Chriſto humilitatem perſuadente erigatur. Nam ſi Filius Dei in naturali æqualitate Patris manere vellet, nec ſe exinaniret, formam ſervi

accipiens; non esset Mediator Dei & hominum: quia ipsa Trinitas unus Deus est, eadem in tribus, Patre & Filio & Spiritu Sancto, Deitatis æternitate & æqualitate constante. Sic itaque unicus Filius Dei, Mediator Dei & hominum factus est, cùm Verbum Dei Deus apud Deum, & majestatem suam usque ad humana deposuit, & humilitatem humanam usque ad divina subvexit, ut Mediator esset inter Deum & homines homo per Deum ultra homines. *In Exposit. Epist. ad Galatas. nu.* 24. Nonne inimici eramus Dei, & malam causam habebamus adversùs Deum? Quis finiret causam istam malam, nisi ille medius arbiter, qui nisi veniret, misericordiæ perierat iter? De quo Apostolus dicit, *Unus enim Deus, & Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*. Si non homo, non Mediator; quia æqualis Patri Deus. Dicit alio loco, *Mediator autem unius non est, Deus autem unus est*. (*Gal.* 3.) Inter duos Mediator: ergo Christus Mediator inter hominem & Deum. Non quia Deus, sed quia homo; nam quia Deus, æqualis Patri; sed æqualis Patri, non Mediator. Ut autem sit Mediator, descendat à superiore ad inferiorem, ab æqualitate Patris; faciat quod ait Apostolus, *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. (*Phil.* 2.) Fundat sanguinem suum, deleat chirographum nostrum, componat inter nos & Deum,

Deum ; noſtram voluntatem corrigens ad juſtitiam, illius ſententiam flectens ad miſericordiam. *Enar. in Pſal.* 103. *Serm.* 4. *num.* 8.

FERIA III.

Filius Dei factus eſt homo, ut homo fieret filius Dei.

QUid eſt Chriſtus? *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* (*Joan.* 1.) Grande hoc, magnum hoc. Tu quid captive? Ubi jaces? In carne, ſub morte. Quis ergo ille? quis tu? Et quid ille poſtea? propter quem? Quis ille, niſi quod dictum eſt, Verbum? Quod Verbum? Ne fortè ſonat & tranſit? Verbum Deus apud Deum, Verbum per quod facta ſunt omnia. Quid propter te? *Et verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Qui Filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non & cum illo omnia nobis donavit?* (*Rom.* 8.) Ecce quid, quis, propter quem. Filius Dei caro propter peccatorem, propter iniquum, propter deſertorem, propter ſuperbum, propter perverſum Dei ſui imitatorem. Factus ille quod tu, filius hominis, ut nos efficeremur filii Dei. *Enar. in Pſalm.* 70. *Serm.* 2. *num.* 10. Unicus natura Dei Filius, propter nos miſericordia factus eſt

hominis filius, ut nos natura filii hominis, filii Dei per illum gratia fieremus. Manens quippe ille immutabilis, naturam nostram in qua nos susciperet, suscepit à nobis; & tenax divinitatis suæ, nostræ infirmitatis particeps factus est; ut nos in melius commutati, quòd peccatores mortalesque sumus, ejus immortalitatis & justitiæ participatione amittamus, & quod in natura nostra bonum fecit, impleti summo bono in ejus naturæ bonitate servemus. Sicut enim per unum hominem peccantem in hoc tam grave malum devenimus: ita per unum hominem eumdemque Deum justificantem ad illud bonum tam sublime veniemus. *L. 21. de Civit. Dei. cap. 15. Non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* (*Joan.* 1.) Ut homines nascerentur ex Deo, primò ex ipsis natus est Deus. Christus enim Deus, & Christus natus ex hominibus. Non quæsivit quidem nisi matrem in terra, quia jam Patrem habebat in cœlo: natus ex Deo, per quem efficeremur; & natus ex fœmina, per quem reficeremur. Noli ergo mirari, ò homo, quia efficeris filius per gratiam, quia nasceris ex Deo secundùm Verbum ejus. Priùs ipsum Verbum voluit nasci ex homine, ut tu securus nascereris ex Deo, & diceres tibi, Non sine causa Deus nasci ex homine voluit, nisi quia alicujus momenti me existimavit, ut immortalem me faceret, & pro me morta-

liter

liter naſceretur. Ideo cùm dixiſſet: *Ex Deo nati ſunt*, quaſi ne miraremur, & exhorreremus tantam gratiam, ut nobis incredibile videretur quia homines ex Deo nati ſunt, quaſi ſecurum te faciens, ait: *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*. Quid ergo miraris, quia homines ex Deo naſcuntur? Attende ipſum Deum natum ex hominibus, *Tract. 2. in Joan.*

FERIA IV.

Ut panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus eſt homo.

IPſe qui tamquam ſponſus proceſſit de thalamo ſuo, de utero ſcilicet virginali, ubi ſanctæ nuptiæ factæ ſunt, Verbum & caro; attulit miraculum temporale: ſed ipſe eſt æternus, ipſe eſt Patri coæternus; ipſe eſt qui in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Fecit tibi unde ſanareris, ut videre poſſes quod non videbas. Quod contemnis in Chriſto, nondum eſt contemplatio ſanati, ſed medicamentum ægroti. Noli feſtinare ad viſionem ſanorum. Angeli vident, Angeli gaudent, Angeli paſcuntur & vivunt: nec deficit unde paſcuntur, nec minuitur eſca ipſorum. In ſublimibus thronis, in partibus cœlorum, in his quæ ſupra cœlos ſunt, videtur Verbum ab Angelis, & gaudetur: & manducatur

& per-

& permanet. Sed ut panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus est homo, *Serm.* 126. Sic enim scriptum est: *Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo,* (*Psal.*77.) Quis est panis Angelorum: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum,* (*Joan.* 1.) Quomodo panem Angelorum manducavit homo? *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, Tractat.* 13. *in Joan.* Ecce panis paratus est tibi: sed cresce de lacte, ut ad panem pervenias. Et quomodo, inquis, cresco de lacte? Quod tibi factus est Christus ad infirmitatem tuam, hoc primò crede, & fortiter tene. Quomodo ergo mater cùm viderit filium minùs idoneum ad capiendum cibum, ipsos cibos ei dat, sed trajectos per carnem suam: nam ipse est panis quo infans pascitur, quo & mater ejus pascitur: sed ad mensam infans minùs idoneus est, ad mamillam idoneus est. Panis ergo de mensa trajicitur per matris mamillam, ut sic perveniat idem alimentum ad parvum infantem. Sic Dominus noster Jesus Christus cùm esset Verbum apud Patrem, per quod facta sunt omnia, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo; qualem caperent pro modo suo Angeli, & unde in cœlo potestates & virtutes, spiritus intellectuales pascerentur; homo autem infirmus, & carne involutus jaceret in terra, nec posset

ſet ad eum pervenire panis cœleſtis: ut panem Angelorum manducaret homo, & manna deſcenderet ad veriorem populum Iſrael, Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Dominus ergo noſter Jeſus Chriſtus panis, ſe fecit nobis lac, incarnatus & apparens mortalis: ut in eo finiretur mors, & non aberraremus à Verbo, credentes in carnem quod factum eſt Verbum. Hinc creſcamus, ipſo lacte nutriamur: antequam validi ſimus ad capiendum Verbum, non recedamus à fide lactis noſtri. Lactare, ut nutriaris; ſic nutrire, ut creſcas; ſic creſce, ut panem manduces. Cùm enim cœperis panem manducare, ablactaberis, id eſt, jam tibi non opus erit lac, ſed ſolidus cibus, *Enarrat. in Pſalm.* 130. *numer.* 9. 11. & 12.

FERIA V.

Chriſtus, cùm dives eſſet, per Incarnationem pauper pro nobis fieri voluit, ut nos illius paupertate ditaremur.

AVarus es? Dicit tibi Deus, Eſto avarus, eſto quantum potes avarus: ſed me conveni pro avaritia tua. Dicit tibi Deus, Me conveni, ego filium meum divitem pauperem pro te feci, (2. *Cor.* 8.) Propter nos enim pauper factus eſt Chriſtus, cùm dives eſſet. Aurum quæris? ille fecit. Argentum quæris? ille fecit. Poſſeſſiones quæris? ille fecit. Quid

quæris

quæris tantùm quæ fecit? Ipſum accipe qui fecit. Cogita quemadmodum te dilexit: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, (*Joan.* 1.) Omnia per ipſum, & ipſe inter omnia. Qui fecit omnia, factus eſt inter omnia. Qui fecit hominem, factus eſt homo: factus eſt quod fecit, ne periret quem fecit. Qui fecit omnia, factus eſt inter omnia. Attende divitias: quid ditius eo, per quem facta ſunt omnia? Et tamen ille cùm dives eſſet, mortalem carnem accepit in utero Virginis. Infans natus eſt, pannis infantilibus involutus eſt, in præſepi poſitus eſt, patienter expectavit ætates, patienter tempora pertulit, per quem facta ſunt tempora. Suxit, vagivit, infans apparuit. Sed jacebat, & regnabat: in præſepi erat, & mundum continebat: à matre nutriebatur, & ab Angelis nuntiabatur: à matre nutriebatur, & ſtella fulgente declarabatur. Tales divitiæ, talis paupertas: divitiæ, ut creareris; paupertas, ut reſtitueereris, *Sermon.* 239. Vide divitem noſtrum, qui propter nos pauper factus eſt, cùm dives eſſet; vide illum divitem: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. Plus eſt aurum facere, quàm habere. Dives es auro, argento, pecore, familia, fundis, fructibus, tibi iſta creare non potuiſti. Vide illum divitem: *Omnia per ipſum facta ſunt*. Vide illum pauperem: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*. Quis dignè cogitet divitias ejus? Quomodo faciat qui non fit, quomodo creet

non creatus, formet non formatus; mutabilia manens, temporalia sempiternus? Quis dignè cogitet divitias ejus? Paupertatem cogitemus, ne fortè pauperes, vel ipsam capiamus. Concipitur utero fœminæ virginali, includitur visceribus Matris. O paupertas! In angusto diversorio nascitur, involutus infantilibus tegumentis in præsepio ponitur, fit cibaria jumentis pauperibus; deinde cœli & terræ Dominus, creator Angelorum, omnium visibilium & invisibilium effector & conditor fugit, vagit, nutritur, crescit, tolerat ætatem, occultat majestatem: posteà tenetur, contemnitur, flagellatur, illuditur, conspuitur, colaphizatur, spinis coronatur, ligno suspenditur, lancea perforatur. O paupertas! *Serm.* 14. Si ille paupertatem vitaret, nos paupertate non careremus, (2. *Cor.* 8.) Pauper enim ille factus est, cùm dives esset, ut illius paupertate ditaremur. Divitiæ illius quid nos facturæ sunt, cujus paupertas nos divites facit? *Serm.* 169.

FERIA VI.

Christus parvus pro nobis nasci voluit, ut nos per illum cresceremus: quod significat etiam ipse dies, quo nasci dignatus est.

NAtus est Christus, Deus de Patre, homo de matre. De Patris immortalitate, de matris virginitate. De Patre sine matre, de matre sine patre. De Patre sine tempore, de matre sine semine.

De

De Patre principium vitæ, de matre finis mortis. De Patre ordinans omnem diem, de matre consecrans istum diem. Præmisit enim hominem Joannem, qui tunc nasceretur, cùm dies inciperent minui; & natus est ipse, cùm dies inciperent crescere: ut ex hoc præfiguretur quod ait idem Joannes, *Illum oportet crescere, me autem minui*, (*Joan.* 3.) Debet enim humana vita in se deficere, in Christo proficere, *ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro omnibus mortuus est, & resurrexit*, (2. *Cor.* 5.) & dicat unusquisque nostrùm quod dicit Apostolus: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus*, (*Gal.* 2.) *Illum* enim *oportet crescere, me autem minui*, *Serm.* 194. Inde est, quòd natus est eo die, quo minor nullus est in terris, à quo tamen incrementa dies sumunt. Qui ergo inclinatus est, & nos erexit, minimum elegit diem, sed unde lux crescit: ipso suo tali adventu nos etiam tacitus tamquam sonitu magni clamoris exhortans, ut qui pauper propter nos factus est, in illo divites esse discamus; qui propter nos formam servi accepit, in illo libertatem accipiamus; qui propter nos de terra ortus est, in illo cœlum possideamus, *Serm.* 192. Dominus noster Jesus, qui erat apud Patrem antequam natus esset ex matre, non solùm Virginem de qua nasceretur, sed & diem quo nasceretur, elegit. Errantes homines plerumque eligunt dies, alius novellandi, alius ædificandi, alius profici-

ſcendi, & aliquando etiam alius uxorem ducendi. Quod cùm facit, ideo facit, ut inde aliquid natum feliciter nutriatur. Nemo tamen poteſt eligere diem, quo ipſe naſcatur. Sed ille potuit utrumque eligere, qui utrumque potuit & creare. Nec ita elegit diem, ſicut eligunt qui fata hominum inaniter de ſiderum diſpoſitione ſuſpendunt. Non enim per diem felix factus eſt qui eſt natus, ſed felicem fecit diem, quo naſci eſt ipſe dignatus. Nam & dies nativitatis ejus, habet myſterium lucis ejus. Sic enim dicit Apoſtolus, *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit: abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamus nos arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus*, (*Rom.* 13.) Agnoſcamus diem, & ſimus dies. Nox enim eramus, cùm infideliter vivebamus. Et quoniam infidelitas, quæ totum mundum vice noctis obtexerat, minuenda fuerat fide creſcente; ideo die Natalis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & nox incipit perpeti detrimenta, & dies ſumere augmenta, *Serm.* 190. Crede in Chriſtum, & creſcit in te dies. Credidiſti? Inchoatus eſt dies. Baptizatus es? Natus eſt Chriſtus in corde tuo. Sed numquid Chriſtus natus ſic remanſit? Crevit, ad juventutem pervenit: ſed in ſenectutem non declinavit. Creſcat ergo & fides tua, robur inveniat, vetuſtatem neſciat, *Serm.* 370.

SAB-

SABBATO.

Deus factus est homo, ut haberet homo quem sequeretur.

DEus homo factus est, ut homo Deus fieret: & ut servus in Dominum verteretur, formam servi Dominus accepit. Habitavit in terris habitator cœlorum, ut homo habitator terræ habitaret in cœlis: natus autem de Patre semper, de matre semel. Etenim Domini nostri Jesu Christi duas accepimus nativitates: primò divinam, deinde humanam; sed planè utramque mirabilem, in illa ut matris, in hac ut patris officia cessarent: unam æternam, ut crearet temporales; alteram temporalem, ut præstaret æternos. Ille ergo in forma Dei Patri æqualis, ille in forma servi Patri subditus. Ille creator temporum, natus in tempore est: factusque est tam parvus, ut ederetur à fœmina; sed tam magnus utique permansit, ut non separaretur à Patre. Has ergo Domini nativitates etiam duo Evangelistarum testantur principia. Unus enim de nativitate divina ita ait: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil,* (*Joa.* 1.) De hac verò nativitate humana ita Evangelista alius refert: *Liber Generationis Jesu Christi filii David,* (*Matth.* 1.) Hic itaque

que Deus noſter, homo inter homines converſatus eſt. Apparuit enim videntibus homo, intelligentibus Deus: hominem intuentibus offerens, credentibus Deum ſervans. Ergo infirmos ſalvavit aſpectus infirmitatis ejus: firmos quærit contemplatio divinitatis ejus. Obſecro vos, Chariſſimi, intuemini quàm magnum ſit hoc myſterium veritatis. Ad ſalvandos homines legem dederat, Prophetas miſerat: & quia ſanandis languoribus hæc remedia præceſſerunt, ipſum ſed ad ſalutem eorum offerre hominibus Deus voluit. Porrò homines Deum ipſum in ſubſtantia ſua videre non potuerunt: ſpem verò homines ſuam ponere in ſolo homine non debebant. Quid ergo hìc fieret? Hominem ſequi non debebant, homo ſequendus non erat qui videri poterat: Deus ſequendus erat qui videri non poterat. Ut ergo exhiberetur homini, & qui ab homine videretur, & quem homo ſequeretur, Deus factus eſt homo, *Ser.* 371. Non poteras ad Deum homo, Deus factus eſt homo; ut quoniam homo potes ad hominem, qui non poſſes ad Deum, per hominem venires ad Deum: & factus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus. Sed ſi homo ſolùm eſſet, hoc ſequendo quod es, numquam pervenires: ſi Deus ſolùm eſſet, non comprehendendo quod non es, numquam pervenires: Deus factus eſt homo, ut hominem ſequendo, quod potes, ad Deum pervenias, quod non poteras. Ipſe eſt mediator, *Enarrat. in*

Pſal.

Psal. 134. *num.* 5. Factus est homo qui erat Deus, accipiendo quod non erat, non amittendo quod erat: ita factus est homo Deus. Ibi habes aliquid propter infirmitatem tuam, ibi habes aliud propter perfectionem tuam. Erigat te Christus per id quod homo est, ducat te per id quod Deus homo est, perducat te ad id quod Deus est. *Tract.* 23. *in Joan.*

Dominica IV. Adventus.

Verbum Incarnatum factum est nobis via, qua redeundum est ad Deum.

NOn à meipso veni, ille me misit, à Deo processi & veni, (*Joan.* 8.) Mementote quid soleamus dicere, Ab illo venit; & à quo venit, cum illo venit. Christi ergo missio est Incarnatio. Quod verò de Deo processit Verbum, æterna processio est: non habet tempus, per quem factum est tempus. Nemo dicat in corde suo, Antequam esset Verbum, quomodo erat Deus? Numquam dicas, Antequam esset Verbum Dei. Numquam Deus sine Verbo fuit; quia Verbum est manens, non transiens; Deus, non sonus; per quem factum est cœlum & terra, non quod præteriit cum iis quæ facta sunt super terram. Ergo ab illo processit ut Deus, ut æqualis, ut Filius unicus, ut Verbum Patris: & venit ad nos, quia Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis. Adventus ejus, humanitas ejus: mansio ejus, divini-

vinitas ejus : divinitas ejus quò imus, humanitas ejus quà imus. Nisi nobis fieret quà iremus, numquam ad illum manentem perveniremus, *Tract.* 42. *in Joan.* Per hominem Christum, tendis ad Deum Christum. Multum est ad te Deus: sed homo factus est Deus. Quod longè erat à te, per hominem factum est juxta te. Ubi maneas, Deus est: quà eas, homo est. Idem ipse Christus, & quà eas, & quò eas, *Sermon.*261. Unum horum nobis erit æterna habitatio, alterum horum nobis est à peregrinatione liberatio. Dominus enim noster Jesus Christus nisi dignatus esset fieri homo, perisset homo. Factus est quem fecit, ne periret quem fecit. Homo verus, Deus verus: Deus & homo totus Christus. Hæc est Catholica fides. Qui negat Deum Christum, Photinianus est: qui negat hominem Christum, Manichæus est. Qui confitetur Deum æqualem Patri Christum & hominem verum, passum verè, sanguinem fudisse verum: non enim veritas nos liberaret, si falsum pretium pro nobis daret, utrumque qui confitetur, Catholicus est. Habet patriam, habet viam. Habet patriam: *In principio erat Verbum*, (*Joan.* 1.) Habet patriam: *Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse æqualis Deo*, (*Phil.* 2.) Habet viam: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*: Habet viam: *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens*. Ipse est patria quò imus, ipse via quà imus. Per ipsum ad ipsum eamus, & non errabimus,

bimus, *Serm.92.* Vide quemadmodum cùm ipsa Veritas, & Verbum per quod facta sunt omnia, caro factum esset, ut habitaret in nobis, tamen ait Apostolus: *Et si noveramus Christum secundùm carnem, sed jam non novimus*, (*2. Cor. 5.*) Ille quippe qui non solùm pervenientibus possessionem, sed etiam viam præbere se voluit venientibus ad principium viarum, voluit carnem assumere. Unde est etiam illud: *Dominus creavit me in principio viarum suarum*, (*Prov. 8.*) ut inde inciperent, qui vellent venire. Apostolus igitur quamvis adhuc ambularet in via, & ad palmam supernæ vocationis sequeretur vocantem Deum; tamen ea quæ retro sunt obliviscens, (*Phil. 3.*) & in ea quæ antè sunt extentus, jam principium viarum transierat, hoc est eo non indigebat, à quo tamen aggrediendum & exordiendum iter est omnibus, qui ad veritatem pervenire, & in vita æterna permanere desiderant. Sic enim ait: *Ego sum via, veritas, & vita*; (*Joan. 14.*) hoc est, per me venitur, ad me pervenitur, in me permanetur. Cùm enim ad ipsum pervenitur, etiam ad Patrem pervenitur; quia per æqualem ille, cui est æqualis agnoscitur, vinciente & tamquam adglutinante nos Spiritu Sancto, quo in summo atque incommutabili bono permanere possimus. Ex quo intelligitur, quàm nulla res in via tenere nos debeat, quando nec ipse Dominus, in quantum via no-

stra

ſtra eſſe dignatus eſt, tenere nos voluerit, ſed tranſire; ne rebus temporalibus, quamvis ab illo pro ſalute noſtra ſuſceptis & geſtis, hæreamus infirmiter, ſed per eas potiùs curramus alacriter, ut ad eum ipſum, qui noſtram naturam à temporalibus liberavit, & collocavit ad dexteram Patris, provehi atque pervehi mereamur, *L. 1. de Doct. Chriſt. c. 34.*

FERIA II.

Chriſtus naſci voluit in mortali carne, ut noſtra ſuſciperet mala, & ſua nobis communicaret bona.

DOminus in proximo eſt, (*Phil. 4.*) quia Dominus nobis factus eſt in proximo. Quid tam longinquum, quid tam remotum, quàm Deus ab hominibus, immortalis à mortalibus, juſtus à peccatoribus? Non loco longè, ſed diſſimilitudine. Nam ſolemus etiam ita loqui, cùm de duobus hominibus dicimus, quando diverſi ſunt mores: Iſte longè eſt ab illo. Etiamſi juxta ſteterint, etiamſi viciniùs inhabitent, etiamſi unà catena colligentur; longè eſt pius ab impio, longè eſt innocens à reo, longè eſt juſtus ab injuſto. Si hoc de duobus hominibus dicitur, quid de Deo & hominibus? Cùm ergo longè à nobis eſſet immortalis & juſtus, tamquam à mortalibus & peccatoribus, deſcendit ad nos, ut fieret nobis proximus ille longinquus. Et quid fecit? Cùm haberet ipſe

duo bona, & nos duo mala; ille duo bona, justitiam & immortalitatem; nos duo mala, iniquitatem & mortalitatem: si utrumque malum nostrum suscepisset, par noster factus esset, & liberatore nobiscum opus haberet. Quid ergo fecit, ut esset proximus nobis? Proximus non hoc quod nos, sed prope nos. Duo attende: justus est, immortalis est. In duobus tuis malis, una est culpa, altera est pœna, culpa est quòd injustus es, pœna est quia mortalis es. Ille, ut esset proximus, suscepit pœnam tuam, non suscepit culpam tuam: & si suscepit, delendam suscepit, non faciendam. Justus & immortalis, longè ab injustis & mortalibus. Peccator mortalis, longè eras à justo immortali. Non est factus ille peccator, quod tu: sed factus est mortalis, quod tu. Manens justus, factus est mortalis. Suscipiendo pœnam, & non suscipiendo culpam, & culpam delevit & pœnam: *Dominus ergo in proximo est*, *Serm.* 171. Nolo erubescamus de Christi nomine. Insultetur nobis quòd credimus in Crucifixum, in occisum. Planè in occisum; sed de quo nisi sanguis manaret, chirographum peccatorum nostrorum adhuc maneret. Prorsus in occisum credidi: sed hoc in illo occisum est quod sumpsit de me, non unde fecit me. Prorsus in occisum credo, sed in quem occisum? Qui venit aliquis, & accepit aliquid. Quis venit? *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo*, (*Phil.* 2.) Ecce quis venit: quid accepit?

cepit? *Sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus*. Ille factor factus, ille creator creatus. Sed in quo factus & creatus? In forma servi, accipiendo formam servi, non amittendo formam Dei. In hac ergo forma servi, in eo quod à nobis pro nobis accepit, & natus est, & passus est, & resurrexit, & ascendit in cœlum. Quatuor res dixi. Natus est, mortuus est, resurrexit, & ascendit in cœlum. Duo prima, duo novissima: duo prima, natus est, mortuus est; duo novissima, resurrexit, ascendit in cœlum. In duobus primis conditionem tuam tibi ostendit: in duobus novissimis mercedis exemplum præbuit. Nasci & mori noveras: plena est his duobus regio mortalium. Quid hìc abundat in omni carne, nisi nasci & mori? Hoc homo cum pecore habet: hanc ergo vitam cum pecoribus communem ducimus. Nati sumus, morituri sumus. Istud nondum noveras, resurgere, & in cœlum ascendere. Duo noveras, duo non noveras: suscepit quod noveras, ostendit quod non noveras: patere quod suscepit, spera quod ostendit, *Serm.* 279.

FERIA III.

Venit Christus in carne mortali, ut in illa pro nobis pati posset & mori.

V*Eritas de terra orta est, & justitia de cœlo prospexit*, (*Psal.* 84.) *Veritas de*

terra orta est, Christus de fœmina natus est: *Veritas de terra orta est*, Filius Dei de carne processit. Quid est veritas? Filius Dei. Quid est terra? Caro. Interroga unde natus est Christus, & vides quia *veritas de terra orta est*. Sed hæc veritas quæ orta est de terra, erat ante terram, & per ipsam factum est cœlum & terra. Sed ut justitia de cœlo prospiceret, idest, ut justificarentur homines divina gratia, veritas nata est de Maria Virgine: ut posset pro illis justificandis offerre sacrificium, sacrificium passionis, sacrificium crucis. Et unde offerret sacrificium pro peccatis nostris, nisi moreretur? Unde autem moreretur, nisi à nobis acciperet, ubi moreretur? idest, nisi à nobis sumeret carnem mortalem, Christus mori non posset: quia Verbum non moritur, divinitas non moritur, Virtus & Sapientia Dei non moritur. Quomodo offerret sacrificium victimam salutarem, si non moreretur? Quomodo autem moreretur, nisi carnem indueret? Quomodo carnem indueret, nisi veritas de terra oriretur? *Veritas de terra orta est, & justitia de cœlo prospexit*, *Enar. in Ps. 84. n. 13.* Homo factus, hominis factor: ut sugeret ubera, regens sidera; ut esuriret panis, ut sitiret fons, dormiret lux, ab itinere via fatigaretur, falsis testibus veritas accusaretur, judex vivorum & mortuorum à judice mortali judicaretur, ab injustis justitia damnaretur, flagellis disciplina cæderetur, spinis botrus coronaretur, in ligno funda-

men-

mentum ſuſpenderetur, virtus infirmaretur, ſalus vulneraretur, vita moreretur. Ad hoc atque hujuſmodi ſuſtinenda pro nobis indigna, ut liberaret indignos; quando nec ille aliquid mali, qui propter nos tanta pertulit mala, nec nos boni aliquid merebamur, qui per eum tanta accepimus bona: propter hæc ergo, qui erat ante omnia ſæcula ſine initio dierum Dei Filius, eſſe in noviſſimis diebus dignatus eſt hominis filius; & qui de Patre natus, non à Patre factus erat, factus eſt in matre quam fecerat; ut ex illa ortus hìc aliquando eſſet, quæ niſi per illum numquam & nuſquam eſſe potuiſſet, *Serm.* 191. *Opprobrium expectavit cor meum, & miſeriam*, (*Pſ.* 68.) Quid eſt, *expectavit*? Futura iſta prævidit, futura iſta prædixit. Non enim venit ad aliud. Si mori nollet, nec naſci vellet: cauſa reſurrectionis utrumque fecit. Duo enim quædam nobis in genere humano nota erant, unum autem incognitum. Naſci quippe homines & mori ſciebamus: reſurgere & in æternum vivere, neſciebamus. Ut oſtenderet nobis quod non noveramus, ſuſcepit duo, quæ noveramus. Ad hoc ergo venit: *Opprobrium expectavit cor meum, & miſeriam*, *Enar. in Pſal.* 68. *Serm.* 2. *num.* 5.

FERIA IV.

Admiretur Homo Christianus Christi nascentis humilitatem.

VEnturus erat Christus in carne, non quicumque, non Angelus, non legatus, sed *ipse veniens salvos faciet eos*, (*Isa.* 35.) Non erat quicumque venturus: & tamen quomodo erat venturus? In carne mortali nasciturus, infans parvulus futurus, in præsepi ponendus, cunis involvendus, lacte nutriendus, per ætates augendus, postremò etiam morte perimendus. Hæc ergo omnia humilitatis indicia & nimiæ humilitatis est forma. Cujus hæc humilitas? Excelsi. Quàm excelsi? Noli quærere in terra, transcende & sidera. Cùm ad cœlestes exercitus Angelorum veneris, audies ab eis, Transi & nos. Cùm veneris ad Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates, audies, Transi & nos, & nos facti sumus: *Omnia per ipsum facta sunt*, (*Joan.* 1.) Universam transcende creaturam, quidquid conditum est, quidquid institutum, quidquid mutabile, sive corporeum, sive incorporeum, cuncta transcende. Videndo nondum potes, credendo transcende: perveni ad Creatorem. Ibi vide: *In principio erat Verbum*. Non enim aliquando factum est, *sed in principio erat*. Hoc ergo quod *in principio erat, & Verbum erat apud Deum*, & ipsum *Verbum Deus erat: & omnia per ipsum*

ſum facta ſunt, venit ad nos. Ad quos? Ad dignos? Abſit: ſed ad indignos. Etenim *Chriſtus pro impiis mortuus eſt*, & indignis, ſed dignus. Nos enim indigni quorum miſereretur, ſed dignus ille qui miſereretur, cui diceretur: *Propter miſericordiam tuam Domine libera nos*, (*Pſ.* 78.) Non propter præcedentia noſtra merita, ſed *propter miſericordiam tuam Domine libera nos*; & *propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum*, non propter meritum noſtrum. Nam non propter meritum peccatorum, ſed *propter nomen tuum*. Nam meritum peccatorum, non utique præmium, ſed ſupplicium. Ergo *propter nomen tuum*. Ecce ad quos venit, ecce quantus venit, *Serm.* 293. Vide quantus factus ſit tantillus: *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo*, (*Phil.* 2.) Non enim erat rapina, ſed erat naturæ æqualitas Filii cum Patre. Non ergo *rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo*. Erat enim, & ſine rapina erat, coæternus ab æterno natus erat. Tamen *ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*, hoc eſt formam hominis accipiens: *Qui cùm in forma Dei eſſet*, non formam Dei accepiſſet: Ergo *cùm in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens*. Sic accepit quod non erat, ut non perderet quod erat. Manens Deus, hominem aſſumpſit. Formam ſervi accepit, & factus eſt Deus homo, à quo Deo factus eſt homo. Vide ergo quæ maje-

ſtas, quæ poteſtas, quæ ſublimitas, quæ cum Patre æqualitas venit propter nos ad indumentum formæ ſervilis: & intellige illam à magiſtro tanto humilitatis viam. Ibi quippe invenies humilitatis viam, quam pede ſuperbo non carpis: quam niſi humili pede calcaveris, ad celſitudinem, quò perducit, pervenire non poteris, *Serm.* 292. Quòd ſi Deus creator cœli ac terræ, cùm Deus eſſet, homo factus eſt, & humiliavit ſemetipſum uſque ad mortem, mortem autem crucis; quantò ſuperbire non debet terra & cinis? Videte, Fratres, quantum ſe humiliavit propter homines Deus. Quantum ſe dejicere debet ſervus, quando ad tantam humilitatem deſcendit & Dominus? Quæ humilitas, Chariſſimi, ſi pleniſſimè ab hominibus poſſidetur, etiam ad charitatem uſque proficiet. Nam dum alter alterum exiſtimat ſuperiorem, dilectio facit æqualitatem. Unde non ſe ipſe homo deſpiciat, propter quem utique iſta ſubire dignatus eſt Deus, *Serm.* 371.

FERIA V.

Quanta devotione Salvatorem ſuum in præſepio poſitum adorare debeat Homo Chriſtianus.

GEneratio Chriſti à Patre ſine matre, & à matre ſine patre: ambæ mirabiles. Prima, æterna; ſecunda, temporalis. Natus eſt æternus de æterno. Quid miraris?

Deus

Deus eſt. Sit conſideratio divinitatis, & perit cauſa admirationis. Tranſeat admiratio, aſcendat laudatio: fides adſit, credе quod factum eſt. Parumne pro te humiliatus eſt Deus? Qui Deus erat, factus eſt. Anguſtum erat diverſorium, involutus pannis, in præſepe poſitus eſt, quis non admiretur? Ille qui mundum implet, in diverſorio locum non invenit. In præſepio poſitus cibus noſter eſt factus. Accedant ad præſepe duo animalia, duo populi: *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui*, (*Iſai.* 1.) Noli erubeſcere Dei eſſe jumentum: Chriſtum portabis, non errabis; ambulas per viam, ſedet ſuper te. Sedeat ſuper nos Dominus, & quò vult nos dirigat: jumentum ipſius ſimus, ad Jeruſalem eamus. Ipſo inſidente non opprimimur, ſed elevamur: Ipſo ducente non errabimus; per ipſum ad ipſum eamus, ut cum nato Puero in perpetuum gaudeamus, *Sermon.* 189. Concipitur, naſcitur, infans eſt. Quis eſt iſte infans? Infans enim dicitur, quòd non poſſit fari, ideſt, loqui. Ergo & infans, & Verbum eſt. Per carnem tacet, per Angelos docet. Nuntiatur Paſtoribus princeps paſtorque Paſtorum: & in præſepi jacet fidelium cibaria jumentorum. Prædictum enim fuerat per Prophetam: *Agnovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui*. Ideò in aſello ſedit, quando Jeruſalem cum laudibus multitudinis præcedentis & conſequentis intra-

vit. Et nos agnoſcamus, ad præſepe accedamus, cibaria manducemus, Dominum rectoremque portemus, ut ad cœleſtem Jeruſalem illo ducente, veniamus. Infirma eſt Chriſti ex matre nativitas, ſed ex Patre ampla majeſtas. Annuntiemus *in gentibus gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus*, (*Pſ.* 95.) In præſepi jacet, ſed mundum continet: ubera ſugit, ſed Angelos paſcit: pannis involvitur, ſed immortalitate nos veſtit: lactatur, ſed adoratur: locum in diverſorio non invenit, ſed templum ſibi in credentium cordibus facit: Ut enim fieret fortis infirmitas, infirma facta eſt fortitudo. Magis ergo miremur, quàm contemnamus ejus etiam carnalem nativitatem; & ibi agnoſcamus tantæ propter nos celſitudinis humilitatem, *Sermon.* 190. Non vileſcat miſericordia: jacet in terra Sapientia: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, (*Joan.* 1.) O cibus & panis Angelorum! de te implentur Angeli, de te ſatiantur, & non faſtidiunt; de te vivunt, de te ſapiunt, de te beati ſunt. Ubi es propter me? In diverſorio anguſto, in pannis, in præſepio. Propter quem? Qui regit ſidera, ſugit ubera: implet Angelos, fatur in ſinu Patris, tacet in ſinu matris. Sed locuturus eſt competente ætate impleturus Evangelium nobis. Propter nos paſſurus, propter nos moriturus, ad exemplum præmii noſtri reſurrecturus, ante oculos Diſcipulo-

rum

rum in cœlum aſcenſurus, ad judicium de cœlo venturus. Ecce qui in præſepi jacebat, diminutus eſt, ſed non perdidit ſe: accepit quod non erat, ſed manſit quod erat. Ecce habemus infantem Chriſtum, creſcamus cum illo, *Serm.* 196.

FERIA VI.

Homo Chriſtianus gloriam in excelſis Deo, pro Dominicæ Incarnationis beneficio, ſumma exultatione cum Sanctis Angelis decantare ſtudeat.

G*Loria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, (*Luc.* 2.) Vox feſta & gratulatoria: non uni fœminæ, cujus uterus prolem ediderat; ſed generi humano, cui Virgo pepererat Salvatorem. Dignum enim erat, & hoc prorſus decebat, ut ei gignenti, quæ Dominum cœli terræque procreaverat, & poſt editam ſobolem integra manſerat, non muliercula humanis ſolemnitatibus, ſed Angeli divinis laudibus, partum caſtiſſimum celebrarent. Diſcamus ergo & nos, & quanta poſſumus cum exultatione dicamus, qui non pecorum Paſtoribus eum natum nuntiamus, ſed cujus Natalitia cum ejus ovibus celebramus: dicamus, inquam, & nos fideli corde, devota voce: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Et hæc verba divina, has Dei laudes, hoc Angelicum gaudium, quanta valemus conſideratione perſpectum,

fide & ſpe & charitate meditemur. Sicut enim credimus & ſperamus & deſideramus, erimus & nos gloria in excelſis Deo, cùm reſurgente corpore ſpiritali rapti fuerimus in nubibus obviam Chriſto: ſi modò cùm in terra ſumus, pacem cum bona voluntate ſectemur. In excelſis quippe vita, quia ibi regio vivorum; & ibi dies boni, ubi Dominus idem ipſe eſt, & anni ejus non deficiunt, (*Pſalm.* 33.) Quiſquis autem vult vitam, & diligit videre dies bonos, cohibeat linguam ſuam à malo, & labia ejus non loquantur dolum; declinet à malo, & faciat bonum: & ita ſit homo bonæ voluntatis. Et quærat pacem, ac ſequatur eam: quia *in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Dicamus iſta, & ſi qua alia ſuggerit pietas, ſanctis inſtructa lectionibus: ut nati ex virgine Domini celebritatem non inaniter frequentemus, inchoati bona voluntate, perficiendi pleniſſima charitate, quæ & diffunditur in cordibus noſtris, non per nos ipſos, ſed per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis, *Serm.* 193. Laudant eum condignè omnes Angeli ejus, quorum cibus æternus eſt, incorruptibili eos ſagina vivificans: quia Verbum Dei eſt, cujus vita vivunt, cujus æternitate ſemper vivunt, cujus bonitate ſemper beatè vivunt. Illi eum condignè laudant, Deum apud Deum & dant gloriam in excelſis Deo. *Nos autem plebs ejus & oves manuum ejus*, (*Pſ.*94.) pro modulo infirmitatis noſtræ pacem per bo-

nam

nam voluntatem reconciliati mereamur. Ipsorum enim Angelorum verè vox est, quam nato nobis Salvatore exultando fuderunt, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Laudant ergo illi competenter, laudemus & nos obedienter. Sunt illi nuntii ejus, sumus & nos pecora ejus. Implevit in cœlo mensam ipsorum, implevit in terra præsepe nostrum. Plenitudo enim mensæ ipsorum est, quia *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* (*Joan.* I.) Plenitudo præsepii nostri est quia *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Ut enim panem Angelorum manducaret homo, Creator Angelorum factus est homo. Illi laudant vivendo, nos credendo: illi fruendo, nos petendo: illi capiendo, nos quærendo: illi intrando, nos pulsando. *Serm.* 194.

In Vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi.

Consideret Homo Christianus quanta prodigia in Christi Nativitate, crastino die celebranda, contineantur.

HÆc Nativitas Dei & hominis facta est causa hominis: ut sublimis illa Majestas procedens ex corde Patris, infunderet se in utero matris, causa exegit pietatis; ut homo inveniretur perditus, &

Deo Patri per Mediatorem restitueretur inventus. Mira tamen hæc nativitas secunda, Fratres dilectissimi. Cæterùm illam primam, qua de Patre natus est sine aliqua matre, quis enarrabit? Si hanc non possumus explicare, illam quando valemus vel inchoare? Si hæc ita nos exercet, ut fidei det locum; illam quando attingimus, quam nec corda potuerunt comprehendere Prophetarum? De hac tamen secunda mira & ineffabili dicamus aliquid, quod factum est pro nobis, ut Verbum caro fieret, & habitaret in nobis. Quis enim non expavescat, cùm audit Deum natum? Audis nascentem, vide in ipso ortu miracula facientem. Alvus tumescit virginis, claustrum pudoris permanet: impletur uterus matris sine ullo complexu patris, sentit prolem quæ se ignorabat conjugem. Angelus ad Virginem loquitur, à Virgine cor præparatur, Christus fide concipitur. Miraris hæc? adhuc mirare. Parit mater & virgo, foeta & intacta: nascitur filius sine homine patre, qui fecit & ipsam matrem. Factor omnium fit inter omnia: portatur manibus matris rector totius orbis: lambit ubera, regens sidera: tacet & Verbum est. Necdum per linguam se demonstrabat quis esset, & universa creatura suum natum indicat Creatorem. Angeli Pastoribus annuntiant, stella Magos invitat: rusticitas Pastorum admonitionem exigit Angelorum, curiositas Magorum instructa est

lin-

lingua coelorum. Magi Judæorum regem prædicant, Judæi abnegant: illi quærunt adorare, isti quærunt occidere. Dicunt Magi Herodi regi quem quærunt natum Regem: dicunt Judæi ex qua civitate Christus surgat regnare. Utrique prædicant, utrique confitentur: sed illi aliter, isti aliter; illi ut inventus adoretur, isti ut captus necetur. O Judæi, ad hoc ferentes in manibus lucernam Legis, ut aliis viam demonstretis, & vobis tenebras ingeratis: ecce Magi primitiæ gentium Christo offerunt munera, non solùm aurum, thus & myrrham, verùm etiam animas suas; & vos repudiat iniquitas propria, ut illum qui vos venit obligatos liberare, dementes effecti eum quæratis occidere. Quid vobis profuit, quòd prodidistis Herodi, ubi Christus nasceretur? Nonne vos læsistis quàm Christo aliquid nocuistis? Audiens enim ille à vobis ubi Christus natus possit inveniri, vestræ gentis infantes continuò præcepit occidi. Sævit Herodes, ut inter multos perdat unum: & plurimos necando se efficit reum, nec occidit quem quærit hominem Deum. O Herodes, magna tua iniquitas! & infantes necas, & tuæ nequitiæ testes cumulas; & Christus à te non invenitur, quia nondum venit hora ejus ut patiatur. Teneris quidem persecutor Christi & reus mortis ejus, nihil agendo in ipso: sed dum multa agis contra ipsum, perdidisti teipsum. Quid metuis talem regem, qui

ſic venit regnare, ut te nolit excludere? Quem quæris, Rex regum eſt: ſi velles ſecurus obtinere tuum regnum, ipſi ſupplicares, ut ab illo acciperes ſempiternum. Regnet Chriſtus quomodo venit regnare: ſuſcipiat credentes, irrideat perſequentes, faciat certantes, adjuvet laborantes, coronet vincentes. *L. 4. de Symb. ad Catechum. cap. 4.*

In Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

Ad primam Miſſam, in media nocte, conſideret Homo Chriſtianus Nativitatem Chriſti temporalem ex Matre.

HIc eſt dies, quo venit in mundum, per quem factus eſt mundus; quo carne factus eſt præſens, virtute numquam abſens: quia in hoc mundo erat, & in ſua venit. In mundo erat, ſed mundum latebat: quia lux lucebat in tenebris, & eam tenebræ non comprehendebant. Venit ergo in carne, carnis vitia mundaturus. Venit in medicinali terra, unde curaret interiores oculos noſtros, quos exterior noſtra excœcaverat terra: ut eis ſanatis, qui fuimus antea tenebræ, lux efficiamur in Domino; & non jam lux in tenebris luceat præſens abſentibus, ſed appareat certa cernentibus. (*Pſalm.* 18.) Ad hoc proceſſit Sponſus de thalamo ſuo, & exultavit ut gigas ad currendam viam. Speciosus ut ſponſus, fortis ut gigas, ama-

amabilis & terribilis, ſeverus & ſerenus: pulcher bonis, aſper malis. Manens in ſinu Patris, implevit uterum matris. In quo thalamo, id eſt, Virginis utero, natura divina ſibi copulavit humanam: ubi Verbum caro factum eſt pro nobis, ut à matre procedens, habitaret in nobis; ut ad Patrem præcedens, ubi habitemus, præparet nobis. Hunc ergo diem læti ſolemniter celebremus, & æternum diem, per eum qui nobis æternus in tempore natus eſt, fideliter exoptemus. *Serm.* 195. Quod donec fiat, donec oſtendat nobis quod ſufficiat nobis, donec eum fontem vitæ potemus & ſatiemur; interim dum ambulantes per fidem peregrinamur ab eo, dum eſurimus & ſitimus juſtitiam, & formæ Dei pulchritudinem ineffabili ardore deſideramus, formæ ſervi Natalem devoto obſequio celebremus. Nondum contemplari poſſumus, quòd genitus eſt ante Luciferum à Patre, frequentemus quòd nocturnis horis eſt natus ex Virgine. (*Pſal.* 71.) Nondum capimus, quòd ante ſolem permanet nomen ejus, agnoſcamus in ſole poſitum tabernaculum ejus. (*Pſal.* 18.) Nondum contuemur Unicum permanentem in Patre ſuo, recordemur Sponſum procedentem de thalamo ſuo. Nondum idonei ſumus convivio Patris noſtri, agnoſcamus præſepe Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Serm.* 194.

Ad secundam Missam, in Aurora, consideret Homo Christianus Nativitatem Christi spiritualem per fidem & charitatem in corde fidelium.

DOminus Christus in æternum sine initio apud Patrem, habet & Natalem. Fecit diem, venit in diem. In principio Verbum, qui nisi haberet humanam generationem, nos ad divinam non perveniremus regenerationem: natus est, ut renasceremus. Christus natus est, nemo dubitet renasci: generatus est, non regenerandus. Cui enim necessaria erat regeneratio, nisi cujus damnata est generatio? Fiat itaque in cordibus nostris misericordia ejus. Portavit eum mater in utero: portemus & nos in corde. Gravidata est Virgo incarnatione Christi: gravidentur pectora nostra fide Christi. Peperit Virgo Salvatorem: pariat anima nostra salutem, pariamus & laudem. Non simus steriles: animæ nostræ Deo sint foecundæ. *Serm.* 189. Omnes alloquor, omnibus dico. Quod miramini in carne Mariæ, agite in penetralibus animæ. (*Rom.* 10.) Qui corde credit ad justitiam, concipit Christum: qui ore confitetur ad salutem, parit Christum. *Serm.* 191. Quia veritas & pax & justitia Christus est, hunc fide concipite, operibus edite; ut quod egit uterus Mariæ in carne Christi, agat cor vestrum in lege Christi. Quomodo autem non ad partum Virginis pertinetis, quando

do Christi membra estis? Caput vestrum peperit Maria, vos Ecclesia. Nam ipsa quoque & mater & virgo est: mater visceribus charitatis, virgo integritate fidei & pietatis. Populos parit, sed unius membra sunt, cujus ipsa est corpus & conjux; etiam in hoc similitudinem gerens illius Virginis, quia & in multis mater est unitatis. Omnes itaque unanimes, castis mentibus & affectibus sanctis, diem Natalis Domini celebremus: quo die *Veritas de terra orta est*. (*Ps.* 84.) Ne verò quisquam contemneret veritatem, quia de terra orta est, cùm sicut sponsus processit de thalamo, id est, de utero virginali, ubi Verbum Dei creaturæ humanæ quodam ineffabili conjugio copulatum est: ne hoc ergo quisquam contemneret, & quamvis mirabiliter natum, & dictis factisque mirabilem, tamen propter similitudinem carnis peccati nihil amplius Christum quàm hominem crederet, cùm dictum esset, *Tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam*: continuò subjunctum est, *A summo cœlo egressio ejus*. Quod ergo audis, *Veritas de terra orta est*, dignatio est, non conditio; misericordia est, non miseria. Veritas ut de terra oriretur de cœlo descendit: Sponsus ut de thalamo suo procederet, à summo cœlo egressio ejus. *Serm.* 192.

Ad

Ad tertiam Missam, in meridie, consideret Homo Christianus Nativitatem Christi æternam ex Patre.

QUæ est illa nostri generatio Salvatoris, qua gignenti Patri coæternus est, quando hanc generationem ex virgine mundus expavit, quam pia fides agnovit & tenuit, infidelitas autem irrisit, superbia timuit superata? Quænam est illa generatio, qua *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*? (*Joan.* 1.) Vel quod est hoc Verbum, quod dicturus antè non silebat, quo dicto non siluit, qui dicebat? Quod est Verbum sine tempore, per quod facta sunt tempora? Verbum quod labia nullius aperuit cœptum, clausitve finitum: Verbum quod initium non habet ex ore loquentium, & aperit ora mutorum: Verbum quod linguis gentium disertis non fit, & linguas infantium disertas facit. Quænam est, inquam, illa generatio, cui Pater moriendo non cedit, quia non eam vivendo præcedit? Ab omnibus locorum temporumque intervallis, ab omni distentione spatiorum, quam vel in diebus, vel in corporibus sentire consuevimus, levemus ad eum, quantum ipso adjuvante possumus, animam nostram, si quo modo capere valeamus & natum non prævenientem qui gignit, & gignentem non subsequentem qui gignitur, Patrem & Filium: nec pariter patres, nec pariter filios, sed

pa-

pariter æternos: non utrumque generantem, nec utrumque naſcentem, ſed alterum ſine altero non viventem: & Patrem ſempiternè genuiſſe, & Filium ſempiternè natum eſſe cogitemus, ſi valemus; ſi non valemus, credamus. Non eſt quod hìc dicere valeamus, ſed tamen non longè poſitum eſt ab unoquoque noſtrum: *In illo enim vivimus, & movemur, & ſumus.* (*Act.* 17.) Tranſcendamus carnem noſtram, in qua parentes ante filios vivunt: quia ut filios poſſent generare creverunt, & filiis creſcentibus jam ſeneſcunt. Nondum natis filiis parentes vixerunt, quia & parentibus mortuis filii victuri ſunt. Tranſcendamus & animas noſtras: pariunt & ipſæ aliquid cogitando, quod ſecum habent ſciendo; ſed poſſunt amittere obliviſcendo, quia non habebant antè naſcendo. Cuncta corporalia, temporalia, mutabilia tranſcendamus, ut videamus ſuper omnia, per quem facta ſunt omnia. Aſcenſus noſter in corde eſt: quia & ille ad quem aſcendimus propè eſt. Longè autem ab illo ſumus, in quantum diſſimiles ſumus. Aſcendit ergo ad eum ſua ſimilitudo, quam in nobis fecit & refecit, quà nondum perfecta, palpitat infirmus aſpectus, & ineffabilem candorem lucis æternæ non poteſt intueri. Cujus ergo fulgorem mentis acies nondum capit, *generationem ejus quis enarrabit?* Sed *Verbum caro factum eſt: & habitavit in nobis. Ser.* 369.

Pro

Pro Festo S. Stephani Protomartyris.

Homo Christianus, si cupit cum sancto Stephano coronari, studeat illum, præsertim in dilectione inimicorum, imitari.

NAtalem Domini hesterna die celebravimus; servi hodie natalem celebramus: sed natalem Domini celebravimus quo nasci dignatus est; natalem servi celebramus, quo coronatus est. Celebravimus natalem Domini, quo indumentum nostræ carnis accepit: natalem servi celebramus, quo suæ carnis indumentum abjecit. Natalem Domini celebravimus, quo similis factus est nobis: celebramus natalem servi, quo factus est proximus Christo. Sicut enim Christus nascendo Stephano, ita Stephanus moriendo conjunctus est Christo. Sed Domini nostri Jesu Christi ideo nativitatis & passionis diem geminæ devotionis obsequio frequentat Ecclesia, quoniam utrumque medicina est. Nam & natus est, ut renasceremur: mortuus est, ut in perpetuum viveremus. Martyres autem ad mala certamina nascendo venerunt, trahentes originale peccatum: moriendo autem ad bona certissima transierunt, finientes omne peccatum. Nam si in persecutione constitutos futuræ beatitudinis præmia non consolarentur, quando illa de diversis passionibus supplicia sustinerent? Si beatus Stephanus sub imbre lapidum constitutus futura præmia non cogitasset, quomodo

illam

illam grandinem pertulisset? Sed illius præceptum gestabat in animo, cujus præsentiam cernebat in cœlo; & ad eum flagrantissimo amore suspensus, carnem quantociùs relinquere, & ad ipsum cupiebat advolare: nec mortem jam timebat, quia Christum, quem pro se occisum sciebat, viventem videbat; ac per hoc festinabat etiam ipse pro illo mori, ut viveret cum illo. Quid enim viderit beatissimus Martyr in illo agone constitutus, recolitis sine dubio verba ejus, quæ de Actuum Apostolorum libro soletis audire. *Ecce*, inquit, *video cœlos apertos, & Christum stantem à dextris Dei.* (*Act.* 7.) Jesum stantem videbat: ideo stabat, & non cadebat: quia stans sursum & deorsum certantem desuper spectans, invictas militi suo vires, ne caderet, suggerebat. *Ecce*, inquit, *video cœlos apertos*. Beatus homo, cui cœli patebant. Sed quis cœlum aperuit? Ille de quo in Apocalypsi dicitur, *Qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* (*Apoc.* 3.) Quando Adam de paradiso ejectus est, post illud primum nefandumque peccatum, contra humanum genus clausum est cœlum: post passionem Christi Latro primus intravit, postea Stephanus apertum vidit. Quid miramur? Quod fideliter vidit, fideliter indicavit, & violenter invasit. Eja, Fratres, sequamur eum. Si enim sequimur Stephanum, coronabimur. Maximè autem sequendus & imitandus est nobis in dilectione inimicorum.

rum. Noſtis enim quia frequentium inimicorum congregatione circumdatus, cùm crebris hinc & illinc ſaxorum ictibus tunderetur, placidus & intrepidus, mitis & lenis inter lapides à quibus occidebatur, intuens illum pro quo occidebatur, non ait, Domine judica obitum meum, ſed, *accipe ſpiritum meum*. Non ait, Domine Jeſu, vindica ſervum tuum, quem vides iſto ſupplicio mortis addictum; ſed, *ne ſtatuas illis hoc peccatum*. Perſiſtens ergo beatiſſimus Martyr in teſtimonio veritatis, & charitatis ardens ſpiritu, pervenit ad glorioſiſſimum finem; & qui vocatus uſque ad finem perſeveravit, in fine quod vocabatur adeptus eſt, ſui nominis gloria Stephanus perductus eſt ad coronam. Quando ergo beatus Stephanus pro Chriſto primus ſanguinem fudit, quaſi corona proceſſit de cœlo; ut eam ſumerent ſequentes in præmio, qui præcedentis virtutem imitarentur in prælio. Impleverunt poſtmodum terram crebra martyria. Quicumque poſtea ſanguinem pro Chriſti confeſſione fuderunt, impoſuerunt coronam illam capiti ſuo, & eam ſecuturis integram ſervaverunt. Et modò, Fratres, de cœlo pendet: quiſquis eam concupierit, ad eam velociter volabit. Et ut Sanctitatem veſtram breviter atque evidenter hortemur, multis non opus eſt verbis: ſequatur Stephanum, quicumque deſiderat coronam. *Serm.* 314.

Pro

Pro Festo S. Joannis Apostoli & Evangelistæ.

Perpendat homo Christianus S. Joannis Evangelistæ excellentiam, qui ad considerandam Christi Divinitatem cæteris altiùs evolavit.

TRes Evangelistæ in his rebus maximè diversati sunt, quas Christus per humanam carnem temporaliter gessit: porrò autem Joannes ipsam maximè divinitatem Domini, qua Patri est æqualis, intendit, eamque præcipuè suo Evangelio, quantum inter homines sufficere credidit, commendare curavit. Itaque longè à tribus istis superius fertur, ita ut hos videas quodammodo in terra cum Christo homine conversari; illum autem transcendisse nebulam, qua tegitur omnis terra, & pervenisse ad liquidum cœlum, unde acie mentis acutissima atque firmissima videret, in principio Verbum Deum apud Deum, per quem facta sunt omnia; & ipsum agnosceret carnem factum, ut habitaret in nobis: quòd acceperit carnem, non quòd fuerit mutatus in carnem. *L. 1. de Consensu Evangel. cap. 4.* Erat iste Joannes, Fratres Charissimi, de illis montibus, de quibus scriptum est, *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam.* (*Psalm. 71.*) Montes, excelsæ animæ sunt: colles, parvulæ animæ sunt. Sed ideo montes excipiunt pacem, ut colles possint excipere justitiam. Quæ est justi-

tia, quam colles excipiunt? Fides, quia justus ex fide vivit (*Rom.* 1.) Non autem exciperent minores animæ fidem, nisi majores animæ quæ montes dictæ sunt, ab ipsa Sapientia illustrarentur, ut possint parvulis trajicere quod possint parvuli capere, & vivere ex fide colles, quia montes pacem suscipiunt. (*Joan.* 20.) Ab ipsis montibus dictum est Ecclesiæ, Pax vobiscum: & ipsi montes pacem annuntiando Ecclesiæ, non diviserunt se adversùs eum, à quo susceperunt pacem, ut veraciter, non fictè nuntiarent pacem. Sunt enim alii montes naufragosi, quò quisque navim cum impulerit, solvitur. Facilè est enim cùm videtur terra à periclitantibus, quasi conari ad terram: sed aliquando videtur terra in monte, & saxa latent sub monte; & cùm quisque conatur ad montem, incidit in saxa; & non ibi invenit portum, sed planctum. Sic fuerunt quidam montes, & magni apparuerunt inter homines; & fecerunt hæreses & schismata, & diviserunt Ecclesiam Dei: sed isti qui diviserunt Ecclesiam Dei, non erant illi montes, de quibus dictum est, *Suscipiant montes pacem populo tuo*. Quomodo enim pacem susceperunt, qui unitatem diviserunt? Qui autem susceperunt pacem nuntiandam populo, contemplati sunt ipsam Sapientiam, quantum humanis cordibus potuit contingi quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Si in cor hominis non ascen-

aſcendit, quomodo aſcendit in cor Joannis? An non erat homo Joannes? An fortè nec in cor Joannis aſcendit, ſed cor Joannis in illam aſcendit? Quod enim aſcendit in cor hominis, de imo eſt ad hominem: quò autem aſcendit cor hominis, ſurſum eſt ab homine. Etiam ſic, Fratres, dici poteſt, quia ſi aſcendit in cor Joannis, ſi aliquo modo poteſt dici, in tantum aſcendit in cor Joannis, in quantum ipſe Joannes non erat homo. Quid eſt, Non erat homo? In quantum cœperat eſſe Angelus: quia omnes Sancti Angeli; quia annuntiatores Dei. Ideo carnalibus & animalibus non valentibus percipere quæ ſunt Dei, quid ait Apoſtolus? cùm enim dicitis, Ego ſum Pauli, Ego Apollo, nonne homines eſtis? (1. *Corinth* 3.) Quid eos volebat facere quibus exprobrabat, quia homines erant? Vultis noſſe quid eos facere volebat? audite in Pſalmis: *Ego dixi, dii eſtis, & filii Excelſi omnes*. Ad hoc ergo vocat nos Deus, ne ſimus homines. Sed tunc in melius non erimus homines, ſi priùs nos homines eſſe agnoſcamus, id eſt, ut ad illam celſitudinem ab humilitate ſurgamus: ne cùm putamus nos aliquid eſſe, cùm nihil ſimus, non ſolùm non accipiamus quod non ſumus, ſed & amittamus quod ſumus. Ergo, Fratres, de his montibus & Joannes erat, qui dixit, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Susceperat pacem

mons iſte, contemplabatur divinitatem Verbi. Qualis iſte mons erat, quàm excelſus? Tranſcenderat omnia cacumina terrarum, tranſcenderat omnes campos aeris, tranſcenderat omnes altitudines ſiderum, tranſcenderat omnes choros & legiones Angelorum. Niſi enim tranſcenderet iſta omnia quæ creata ſunt, non perveniret ad eum per quem facta ſunt omnia. Non poteſtis cogitare quid tranſcenderit, niſi videatis quò pervenerit. Quæris de cœlo & terra? facta ſunt. Quæris de his quæ ſunt in cœlo & terra? utique multò magis & ipſa facta ſunt. Quæris de ſpiritalibus creaturis, de Angelis, Archangelis, Sedibus, Dominationibus, Virtutibus, Principatibus? & ipſa facta ſunt. Nam cùm enumeraret hæc omnia Pſalmus concluſit ſic: *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt.* (*Pſ.* 148.) Si dixit, & facta ſunt, per Verbum facta ſunt: ſi autem per Verbum facta ſunt, non potuit Joannis cor pervenire ad id quod ait, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, niſi tranſcendiſſet omnia quæ ſunt facta per Verbum. Qualis ergo iſte mons quàm ſanctus, quàm altus inter illos montes, qui ſuſceperunt pacem populo Dei, ut colles poſſent ſuſcipere juſtitiam? *Tract. I. in Jean.*

Pro Festo Sanctorum Innocentium.

Consideret Homo Christianus quanta ex sanctorum Innocentium morte Christo & ipsis gloria accreverit.

NAscitur infans parvus, rex magnus. Procedunt certa indicia, & signa magni regis: pastoribus nuntiant Angeli, per stellam velut per novam linguam clamant coeli. Adducuntur de longinquo Magi: veniunt, ut adorent adhuc in præsepi jacentem, sed jam in cœlo & in terra regnantem. Annuntiantibus Magis regem natum, turbatur Herodes; & ne regnum perdat, vult eum occidere, in quem si crederet, & hìc securus, & in illa vita sine fine regnaret. Herodes à Judæis ubi Christus nascatur inquirit. Quærunt simul, non sicut Magi adorandum, sed inventum necandum. Quid times Herodes, quia audis regem natum? Non venit ille ut te excludat, sed ut Diabolum vincat. Sed tu hæc non intelligens turbaris & sævis; & ut perdas unum quem quæris, per tot infantum mortes magis efficeris crudelis. Non te ulla pietas plangentium matrum, aut lugentium patrum funera filiorum, non mugitus & gemitus revocat infantum. Necas parvulos corpore, quia te necat timor in corde; & putas si hoc quod cupis impleveris, diu te posse vivere, cùm ipsam vitam quæras occidere. Ille autem fons gratiæ, parvus & ma-

magnus, qui in præsepi jacet, thronum tuum terret: agit per te nescientem causas suas, & à captivitate Diaboli animas liberat. Suscepit filios inimicorum in numerum adoptatorum. Moriuntur parvuli pro Christo nescientes, parentes plangunt martyres morientes: ille nondum loquentes idoneos suos efficit testes. Ecce quomodo regnat, qui sic regnare venerat. Ecce jam liberat liberator, & salutem præstat Salvator. Sed tu Herodes nesciens hoc, turbaris & sævis: & dum contra parvulum sævis, jam illi obsequium præbes, & nescis. Ille enim rex magnus qui ad hoc venit, ut per te & per alios suos hinc congreget: tu illi prior ad regnum cœlorum tot millia candidatorum infantum innumerabilem præmittis exercitum. Hanc turbam Apocalypsis illa beati Joannis Apostoli demonstrabat, dicens, *Vidi turbam multam, quam dinumerare nemo poterat ex omni tribu, stantes in conspectu Dei, & induti erant alba veste, & palmæ fuerunt in manibus eorum.* (*Apoc.* 7.) O magnum donum gratiæ! Quibus eorum meritis præstitum est, ut sic vincerent infantes? Necdum loquuntur & Christum confitentur. Necdum motibus membrorum valent suscipere pugnam, & victoriæ jam efferunt palmam. Quomodo regnas Herodes, qui sic vinceris? Parvus ille non te armatorum virorum fortium superavit manu, sed innumerabili vicit turba morientium parvulorum. Vis nosse quid infantibus,

quos

quos trucidasti, præstiteris? Ideo accelerasti ad eorum vitam, ne cum suis parentibus occiderent veram vitam: hoc illo per te agente, qui novit bene uti etiam malis tuis. Illorum animas liberavit à parentum internecionis suæ societate, & te solum inanem reliquit in scelere. Egit & agit gratia causas suas, & per inimicos suos, & per ipsos, & in ipsis: nam & ipsi qui moriebantur, natura filii iræ erant, sicut & cæteri: sed quid eis præstitit gratia, nisi ut erueret eos de potestate tenebrarum? Prestitit eis Christus ut pro Christo morerentur, præstitit ut suo sanguine ab originali peccato diluerentur. Nati sunt ad mortem, sed continuò eos mors reddidit vitæ. *L. 3. de Symb. ad Catechum. c. 4.* O parvuli beati! modò nati, numquam tentati, nondum luctati, jam coronati. Non habebatis quidem ætatem, qua in Christum passurum crederetis: sed habebatis carnem, in qua pro Christo passuro passionem sustineretis. *Ser.* 373. Antè Martyres sanguine sunt effecti, quàm possent ore Dominum confiteri. Et has primitias Christus misit ad Patrem. Venit infans, & ierunt infantes; infans ad nos, infantes ad Deum. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem*, (*Psal.* 8.) *Serm.* 375.

PRO QUADRAGESIMA

Et ſubſequentibus Feſtis Mobilibus.

FERIA IV. CINERUM.

Sacratiſſimum Quadrageſimæ tempus quanta pietate ac devotione inchoandum, ac percurrendum ſit homini Chriſtiano.



Bſervationem Quadrageſimæ, ſolemni reditu præſentatam, hodierno die ingredimur: quo etiam exhortatio debetur; ut Dei ſermo jejunaturos corpore, paſcat in corde: ac ſic interior homo cibo ſuo refectus exterioris caſtigationem poſſit agere, & robuſtiùs ſuſtinere. Congruit enim noſtræ devotioni, ut qui Domini Crucifixi paſſionem jam propinquantem celebraturi ſumus reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipſi etiam faciamus, ſicut dicit Apoſtolus, *Qui autem Jeſu Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum paſſionibus & concupiſcentiis.* (*Gal.* 5.) In hac quidem cruce per totam vitam iſtam, quæ in mediis tentationibus ducitur, perpetuò debet pendere Chriſtianus. Non enim eſt in hac vita tempus evellendi clavos, de quibus in Pſalmo dicitur, *Confige clavis à timore tuo carnes meas.* (*Pſalm.* 118.) Carnes, ſunt carnales concupiſcentiæ; clavi ſunt præcepta juſtitiæ; his illas timor Domini

con-

configit, qui nos illi acceptabilem hostiam crucifigit. Unde item dicit Apostolus, *Obsecro itaque vos, Fratres, per miserationem Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem.* (*Rom.* 12.) Crux ergo ista, in qua Dei servus non solùm non confunditur, sed etiam gloriatur dicens, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo:* (*Gal.* 6.) crux, inquam, ista non quadraginta dierum est, sed totius hujus vitæ, quæ mystico numero quadraginta istorum significatur dierum; sive quòd homo ducturus hanc vitam, sicut nonnulli asserunt, diebus quadraginta formatur in utero; sive quòd Evangelia quatuor cum denaria lege concordant; & quater deni istum numerum signant, nobisque in hac vita Scripturas utrasque necessarias esse demonstrant; sive alia qualibet probabiliore causa, quam potest intellectus melior & luculentior invenire. Unde & Moyses & Elias & ipse Dominus quadraginta diebus jejunaverunt: ut insinuaretur nobis & in Moyse & in Elia & in ipso Christo, hoc est, in lege & Prophetis & in ipso Evangelio, id nobiscum agi, ne conformemur & hæreamus huic sæculo, sed crucifigamus hominem veterem, (*Rom.* 13.) non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione agentes; sed induamus Dominum Jesum, & carnis curam ne fece-

rimus in concupiſcentiis. Sic ſemper hìc vive Chriſtiane: ſi terreno limo greſſus non vis immergere, noli de iſta cruce deſcendere. Si autem hoc faciendum eſt per hanc totam vitam, quantò magis per iſtos Quadrageſimæ dies, quibus non ſolùm agitur, verùm etiam ſignificatur hæc vita? Per alios ergo dies non graventur corda veſtra in crapula & ebrietate: per hos autem etiam jejunate. Vos autem etiam per alios dies jejunatis, per hos augete quod facitis. Omnes unanimes, omnes fideles fideliter, omnes in hac peregrinatione unius patriæ deſiderio ſuſpirantes, & amore ferventes. Donum Dei, quod ipſe non habet, nullus in altero invideat, nullus irrideat. In ſpiritalibus bonis, tuum deputa, quod amas in fratre: ſuum deputet, quod amat in te. Nemo ſub abſtinentiæ ſpecie, mutare affectet potiùs, quàm reſecare delicias; ut pretioſos cibos quærat, quia carne non veſcitur, & inuſitatos liquores, quia vinum non bibit: ne per occaſionem quaſi domandæ carnis, magis agat negotium voluptatis. Alimenta quidem mundis munda ſunt omnia: ſed in nullo eſt munda luxuria. *Serm.* 205.

FE-

FERIA V.

Orationi aliisque bonis operibus, hoc potissimùm Quadragesimali tempore, incumbere debet homo Christianus.

ANniversario reditu Quadragesimæ tempus advenit, quo vobis exhortatio nostra debetur: quia & vos tempori congrua Domino opera vestra debetis: quæ tamen non Domino utilia possint esse, sed vobis. Orationibus, jejuniis, eleemosynis & aliâ quidem tempora debent Christiano fervere: verumtamen & illos qui diebus aliis in his pigri sunt, debet ista solemnitas excitare; & ii qui per alios dies ad ista sunt alacres, nunc ea debent ferventiùs exercere. Tempus quippe humilitatis nostræ vita in hoc sæculo est, quam dies significant isti, Domino pro nobis Christo, qui semel moriendo passus est, velut annis omnibus revoluta solemnitate passuro. Quod enim semel in toto tempore factum est, ut vita nostra novaretur; celebratur annis omnibus, ut in memoriam revocetur. Si ergo veracissimæ pietatis affectu, toto peregrinationis hujus tempore, quo in mediis tentationibus vivimus, humiles corde esse debemus: quantò magis his diebus, quibus ipsum tempus humilitatis nostræ non solùm vivendo agimus, sed etiam celebrando significamus? Humiles esse nos docuit humilitas Christi, quia impiis moriendo cessit: excelsos nos facit celsitudo Christi, quia pios resurgendo præcessit. *Si enim commortui sumus,*

mus, ait Apostolus, *& convivemus: si toleramus & conregnabimus.* (2. *Tim.* 2.) Unum horum modò, tamquam ejus propinquante passione; alterum post Pascha, tamquam ejus resurrectione completa, devotione debita celebramus. Tunc enim post dies hujus humilitatis, etiam nostræ celsitudinis tempus, etsi nondum videndo agere vacat; jam tamen præmeditando significare delectat. Nunc itaque orationibus ingemiscamus instantiùs: tunc uberiùs exhilarabimur laudibus. Sed orationibus nostris, quibus ad Deum faciliùs volando perveniat, eleemosynis & jejuniis pennas pietatis addamus. Hinc autem intelligit animus Christianus, quantùm remotus esse debet à fraude alienæ rei; quando sentit simile esse fraudi, si superflua sua non tribuerit indigenti. Dominus dicit, *Date & dabitur vobis; dimittite & dimittetur vobis.* (*Luc.* 6.) Hæc duo genera eleemosynarum, tribuendi & ignoscendi, clementer & ferventer operemur; qui nobis à Domino ut bona tribuantur, & mala non retribuantur, oramus. *Date*, inquit, *& dabitur vobis.* Quid verius, quid justius; ut qui dare detrectat, se fraudet ipse, nec accipiat? Si imprudenter agricola quærit messem, ubi se novit non præmisisse semen; quantò impudentiùs quærit Deum divitem dantem, qui hominem pauperem noluit exaudire poscentem? In paupere enim se pasci voluit, qui non esurit. Deum ergo nostrum egentem non spernamus in paupere, ut egentes satiemur in divi-

te.

te. Habemus egentes, & egemus: demus ergo, ut accipiamus. Verumtamen quid eſt quod damus? Et pro iſto exiguo, viſibili, temporali atque terreno, quid eſt quod accipere deſideramus? *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit*, (1. *Cor.* 2.) Niſi ipſe promitteret, impudentiæ fuiſſet dare iſta, & accipere velle illa: quæ tamen iſta nec ipſa haberemus, niſi dante illo, qui exhortatur ut demus. Qua igitur fronte in utriſque ſperamus dantem, ſi in minimis contemnimus imperantem? *Dimittite & dimittetur vobis*. Hoc eſt, Ignoſcite, & ignoſcetur vobis. Conſervus conſervo reconcilietur, ne juſtè ſervus à Domino puniatur. In hoc genere eleemoſynæ nullus eſt pauper. Poteſt hoc facere ut in æternum vivat, etiam qui ad tempus non habet unde vivat. Gratis datur, dando cumulatur, quæ non conſumitur, niſi quando non erogatur. Cujus ergo uſque ad hos dies inimicitiæ perdurarunt, confundantur atque finiantur. Finiantur, ne finiant: non teneantur, ne teneant: perimantur per Redemptorem, ne perimant retentorem. Ita oratio noſtra humilitate & charitate, jejunando & dando, temperando & ignoſcendo, bona tribuendo & mala non retribuendo, à malo declinando & bona faciendo, quærit pacem: & conſequitur eam. Volat enim talibus oratio pennis adminiculata virtutum: & quò Chriſtus pax noſtra præceſſit, faciliùs perfertur in cœlum, *Serm.* 206.

FE-

FERIA VI.

Jejunium quod in Quadragesima ex præcepto Ecclesiæ observandum est, quàm proficuum sit homini Christiano, imò & necessarium.

QUid nobis prodest abstinere aliquantùm à pastu & lætitia carnali? Caro in terram cogit, mens sursum tendit: rapitur amore, sed tardatur pondere. De hac re Scriptura ita loquitur: *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*, (*Sap.* 9.) Si ergo caro in terram vergens onus est animæ, & sarcina prægravans prævolantem: quantum quisque delectatur superiore vita sua, tantum deponit de terrena sarcina sua. Ecce quod agimus jejunantes. Non vobis ergo videatur levis res aut superflua, ne quisquam fortè hoc faciens Ecclesiæ consuetudine, cogitet apud se, & dicat sibi, aut suggerentem intrinsecùs audiat tentatorem: Quid facis, quia jejunas? Defraudas animam tuam, non ei das quod eam delectat, tibi ipsi ingeris pœnam, tuus ipse tortor & cruciator existis. Deo ergo placet, quia te crucias? Ergo crudelis est, qui delectatur pœnis tuis. Responde hujusmodi tentatori: Excrucio me planè, ut ille parcat: do de me pœnas, ut ille subveniat, ut placeam oculis ejus, ut delectem suavitatem ejus. Nam & vi-

ctima

ctima excruciatur, ut in aram imponatur: Minùs premet mentem meam caro mea. Et tali dissuasori malo, servo ventris, responde per hanc similitudinem, & dic: Si jumento fortè insideres, si equo uteteris, qui te gestiendo posset præcipitare, nonne ut securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares quem frœno non posses? Caro mea jumentum meum est: iter ago in Jerusalem, plerumque me rapit, & de via conatur excludere: via autem mea Christus est: ita exultantem non cohibebo jejunio? Si quis hoc sapit, etiam ipso experimento probat, quàm utiliter jejunetur. Numquid enim caro ista quæ nunc domatur, semper domabitur? Dum temporaliter fluitat, dum mortalitatis conditione prægravatur, habet exultationes suas manifestas & periculosas menti nostræ. Caro est enim adhuc corruptibilis, nondum resurrexit; nam non semper sic erit: nondum habet statum proprium cœlestis habitudinis; nondum enim facti sumus æquales Angelis Dei: & ideo concupiscimus adversùs carnem, ut nobis domitam carnem subjiciamus, & eam ad obediendum attrahamus. Numquid odimus, quam nobis cupimus obedire? Filium domas, ut tibi obediat: numquid odisti, numquid deputas inimicum? Servum tuum diligis & castigas, & in castigando obedientem facis. Habes de hac re ipsius Apostoli manifestam plenamque sententiam: *Non sic curro*, inquit, *tam-*

tamquam in incertum; non sic pugillor, quasi aerem cadens: sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus inveniar, (1. *Cor*. 9.) Habet ergo caro ex conditione mortali quasi quosdam terrenos appetitus suos: in hos tibi jus frœni concessum est. Ad te quid pertinet? Delectationem carnis non relaxare usque ad illicita, aliquantùm & à licitis refrænare. Qui enim à nullis refrœnat licitis, vicinus est & illicitis. Licita est satietas, illicita est ebriositas: tamen modesti homines, ut longè se faciant à turpitudine ebrietatis, castigant se aliquantùm & à libertate satietatis. Ita ergo agamus, Fratres, temperemus; & quod facimus, sciamus quare faciamus. Cessando à lætitia carnis, acquiritur lætitia mentis, *Tract. de Utilit. Jejunii c.* 2. 3. *& seq.*

SABBATO.

Jejunium Quadragesimale ita observandum est homini Christiano, ut non sit novarum occasio deliciarum, sed veteris concupiscentiæ repressio.

JEjunemus humiliantes animas nostras, appropinquante die, quo magister humilitatis humiliavit semetipsum, factus subditus usque ad mortem crucis. Imitemur ejus crucem, abstinentiæ clavis domitas concupiscentias configentes. Castigemus corpus nostrum, & servituti subjiciamus: & ne per indomitam carnem ad illicita prolabamur, in

in ea domanda aliquantùm & licita subtrahamus. Crapula & ebrietas etiam per dies cæteros devitanda: per hos autem dies etiam concessa prandia removenda. Sanè cavendum est ne mutes, non minuas voluptates. Videas enim quosdam pro usitato vino, inusitatos liquores exquirere, & aliorum expressione pomorum, quod ex uva sibi denegant, multo suaviùs compensare; cibos extra carnes multiplici varietate ac jucunditate conquirere; & suavitates quas alio tempore consectari pudet, huic tempori quasi opportunè colligere: ut videlicet observatio Quadragesimæ non sit veterum concupiscentiarum repressio, sed novarum deliciarum occasio. Hæc, Fratres, ne vobis persuasa subrepant, quanta potestis vigilantia providete. Parsimonia jejuniis conjungatur. Sicut ventris castiganda saturitas, ita gulæ irritamenta cavenda sunt. Non humanorum alimentorum genera detestanda, sed carnalis est delectatio refrænanda. Esau non pingui vitulo vel volatilibus saginatis, sed immoderatè concupita lenticula reprobatus est, (*Genes.* 25.) Sanctum David aquam plus justo desiderasse pœnituit, (1. *Paral.* 11.) Non operosis ergo neque pretiosis, sed in promptu positis & quibusque vilioribus alimentis est corpus à jejunio reficiendum, vel potiùs fulciendum, *Serm.* 207. Sunt quidam observatores Quadragesimæ deliciosi potiùs quàm religiosi, exquirentes novas suavitates magis quàm veteres concupiscentias castigantes, qui

copiosis pretiosisque apparatibus fructuum diversorum, quorumlibet obsoniorum varietates & sapores superare contendunt: jejunant, non ut solitam temperando minuant edacitatem, sed ut immoderatam differendo augeant aviditatem. Nam ubi tempus reficiendi advenerit, opimis mensis tamquam pecora præsepibus irruunt; numerosioribus ferculis corda obruunt ventresque distendunt; artificiosis & peregrinis condimentorum diversitatibus gulam, ne vel copia compescatur, irritant. Denique tantum capiunt manducando, quantum digerere non sufficiant jejunando. Quid autem absurdius, quàm tempore, quo caro arctiùs castiganda est, tantas carni suavitates procurare, ut ipsa faucium concupiscentia nolit Quadragesimam præterire? Quid inconvenientius, quàm in diebus humilitatis, quando pauperum victus omnibus imitandus est, ita vivere, ut si toto tempore sic vivatur, vix possint divitum patrimonia sustinere? Cavete ista, Dilectissimi: cogitate quod scriptum est: *Post concupiscentias tuas non eas*, (*Eccli.* 18.) Quod saluberrimum præceptum si omni tempore observandum est, quantò ampliùs his diebus, quando ita turpe est si cupiditas nostra ad inusitatas laxetur illecebras, ut meritò culpetur qui non restrinxerit usitatas? *Sermon.* 210.

Dominica I. Quadragesimæ.

Jejunium & oratio hominis Christiani, ut hoc tempore sint Deo acceptiora, adjungat illis misericordiam.

UT nostræ orationes congruis adminiculis adjuventur, quoniam in his diebus ferventiores habere debemus, etiam eleemosynas ferventiùs erogemus. Ipsis adjiciatur, quod nobis jejunando & à cibis solitis abstinendo detrahitur. Quamvis eas debeat largiores habere, qui propter aliquam necessitatem corporis sui non potest abstinere, ut hoc addat pauperi, quod sibi detrahit: sed ideo plus det pauperi, quia sibi non detrahit; ut quoniam minùs potest orationes suas castigatione corporis adjuvare, abundantiorem in corde pauperis includat eleemosynam, quæ pro illo possit orare. De Scripturis sanctis hoc est saluberrimum amplectendumque consilium: *Include*, inquit, *eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit*, (*Eccli.* 29.) *Serm.* 209. Præcipuè pauperum mementote, ut quod vobis parciùs vivendo subtrahitis, in cœlesti thesauro reponatis. Accipiat esuriens Christus, quod jejunans minùs accipit Christianus. Castigatio volentis, fiat sustentatio non habentis. Voluntaria copiosi inopia, fiat necessaria inopis copia, *Serm.* 210. Tunc grata sunt Deo nostra jejunia, si illi

illi qui necessitate jejunant, reficiantur à nobis. Jejunium tuum te castiget, sed lætificet alterum: & ita fructuosæ erunt angustiæ tuæ, si alteri latitudinem præstent. Sic jejuna, ut in alio manducante prandisse te gaudeas. Nam manducante paupere de bonis tuis, prandet Christus, qui se in paupere esurire testatur, *Serm. 143. & 144. in Append.* Eleemosinas his diebus augere, quodammodo ex debito est. Ubi enim justiùs quàm miserando impenditis, quod vobis abstinendo demitis? Et quid iniquius, quàm ut quod minus erogat abstinentia, servet permanens avaritia, aut consumat dilata luxuria? Intendite itaque quibus debeatis, quod vobis denegatis: ut quod detrahit temperantia voluptati, addat misericordia charitati. Quid jam dicam de illo opere misericordiæ, ubi nihil de sacculo impenditur, sed ex corde dimittitur; quod magis si maneat, quàm si recedat, incipit esse damnosum? Iram dico adversùs aliquem in corde servatam. Quid autem stultius, quàm inimicum forinsecùs devitare, & multò pejorem in præcordiis intimis retinere? Unde Apostolus dicit: *Sol non occidat super iracundiam vestram*, (*Eph. 4.*) moxque subjungit: *Neque detis locum Diabolo*. Tamquam hoc agat, qui non citò iram pellit ex animo, ut per illam velut per januam aditum præstet Diabolo. Primitus itaque agendum est, ut super iram non occidat iste sol; ne deserat ipsam mentem justitiæ

sol,

ſol. Sed in cujus pectore adhuc uſque permanſit, pellat eam ſaltem jam proximus dies Dominicæ paſſionis, qui non eſt iratus interfectoribus ſuis, pro quibus in ligno pendens & precem fudit & ſanguinem. In cujuſcumque ergo veſtrùm pectore uſque ad iſtos ſanctos dies fronte impudentiſſima perduravit, nunc inde ſaltem ira diſcedat, ut oratio ſecura procedat: nec offendat aut palpitet, aut ſub conſcientiæ ſtimulis obmuteſcat, cùm ad eum locum venerit, ubi dicendum eſt: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* (*Matth.* 6.) Aliquid petituri eſtis ne vobis retribuatur, & aliquid ut tribuatur: *Remittite* ergo, *& remittetur vobis; date, & dabitur vobis,* (*Luc.* 6.) *Serm.* 208.

FERIA II.

Quantùm homo Chriſtianus hoc tempore, quo Chriſtus ad mortem uſque nos dilexit, ſtudere debeat charitati erga proximum.

JEjunia veſtra non ſint talia, qualia Propheta condemnat, dicens: *Non hoc jejunium elegi, dicit Dominus,* (*Iſai.* 58.) Arguit enim jejunia litigioſorum: quærit piorum. Arguit opprimentes, quærit relaxantes. Arguit inimicantes, quærit liberantes, *Sermon.* 206. Sit in animo placabili & humili miſericors ignoſcendi facilitas. Petat veniam, qui fecit injuriam: det veniam, qui accepit injuriam:

ut non possideamur à Satana, cujus triumphus est dissensio Christianorum. Et hæc enim magni lucri eleemosyna est, debitum relaxare conservo, ut tibi relaxetur à Domino. Utrumque opus bonum cœlestis magister discipulis commendavit dicens: *Remittite, & remittetur vobis: date & dabitur vobis*, (*Luc.* 6.) Mementote servi illius, (*Matth.* 18.) cui omne debitum dominus ejus quod donaverat, replicavit, quia conservo ipse debenti sibi centum denarios misericordiam non rependit, quam de talentorum decem millibus quæ debebat accepit. In hoc genere operis boni excusatio nulla est, ubi sola voluntas tota facultas est. Potest quisque dicere, Ne stomachus doleat, jejunare non possum. Potest etiam dicere, Volo dare pauperi; sed unde, non habeo: aut tantum habeo, ut timeam egere, si dedero. Quamquam & in his operibus excusationes plerumque sibi homines falsas faciunt, quia veras non inveniunt. Verumtamen quis est qui dicat, Ideò non ignovi veniam petenti, quia me valetudo impedivit, aut quia manus qua porrigerem non fuit? Dimitte, ut dimittatur tibi. Carnis hìc opus nullum est, nullum vel carnis suæ membrum in adjutorium animæ assumitur, ut hoc impleatur, quod rogatur. Voluntate agitur, voluntate perficitur. Fac securus, da securus, nihil in corpore dolebis, nihil in domo minus habebis. Jam verò, Fratres, videte

dete quid mali sit, ut pœnitenti fratri non ignoscat, cui præceptum est ut inimicum adhuc diligat. Quæ cùm ita sint, cùm scriptum sit: *Sol non occidat super iracundiam vestram*: (*Eph.* 4.) considerate, Charissimi, utrùm Christianus dicendus sit, qui saltem his diebus inimicitias non vult finire, quas numquam debuit exercere, *Sermon.* 210. Ecce dixi vobis quod maximè per istos dies jejuniorum vestrorum, obsevationum vestrarum, continentiæ vestræ, agere debeatis, ut cum fratribus vestris concordetis: ut omnes donantes vobismetipsis, si quis habet adversùs aliquem querelam, securi celebremus ejus passionem, qui nihil cuiquam debebat, & pretium pro debentibus solvit: Dominum Jesum Christum dico, qui in neminem peccavit, & propè in illum omnis mundus peccavit; nec exegit supplicia, sed promisit præmia. Habemus ergo ipsum testem in cordibus nostris, quia si in aliquem peccavimus, vero corde veniam postulemus; si aliquis in nos peccavit, veniam dare parati simus, & pro inimicis nostris oremus. Non expectemus vindicari, Fratres, *Serm.* 211. Intelligamus, quomodo Christum debeat sequi Christianus. Habemus tale humilitatis exemplum, superbiæ medicamentum. Quid ergo intumescis, ò homo? ò pellis morticina quid tenderis? ò sanies fœtida quid inflaris? Anhelas, doles, æstuas, quia nescio quis tibi fecit injuriam. Unde tu flagitas

gitas ultionem, ſitis arenti fauce vindictam; nec priùs ab intentione deſiſtis, donec de illo qui te læſerit, vindiceris? Si Chriſtianus es, expecta regem tuum: priùs ſe vindicet Chriſtus. Nondum enim vindicatus eſt, qui pro te tanta perpeſſus eſt. Et utique illa majeſtas poſſet vel nihil perpeti, vel continuò vindicari. Sed cùm eſſet in illo tanta potentia, ideò fuit etiam tanta patientia: quia pro nobis eſt paſſus, relinquens nobis exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus, *Serm.* 304.

FERIA III.

Caveat homo Chriſtianus, ne eo tempore, quo Deo reconciliati ſumus, in corde inimicitias foveat.

SOlemne tempus advenit, quando de anima attentiùs cogitanda & corpore caſtigando veſtram commoneam charitatem. Hi ſunt enim quadraginta dies ſacratiſſimi toto orbe terrarum, quos propinquante Paſcha univerſus mundus, quem Deus in Chriſto reconciliat ſibi, prædicanda devotione concelebrat. Si quæ inimicitiæ, quæ vel naſci non debuerunt, vel citò mori debuerunt, & tamen uſque ad hoc tempus ſive negligentia, ſive pertinacia, ſive non modeſta, ſed ſuperba verecundia, inter fratres perdurare potuerunt; ſaltem modò finiantur. Super quas ſol non debuit occidere, ſaltem poſt multos ſolis ortus & occaſus, etiam ipſæ ſuo tandem

ali-

aliquando extinguantur occaſu, nec ulteriùs ullo renoventur exortu. Negligens inimicitias finire obliviſcitur, pertinax veniam non vult concedere, cùm rogatur; ſuperbè verecundus veniam petere dedignatur. His tribus vitiis inimicitiæ vivunt: ſed animas in quibus non moriuntur, occidunt. Vigilet contra negligentiam memoria, contra pertinaciam miſericordia, contra ſuperbam verecundiam ſubmiſſa prudentia. Qui ſe concordiæ recolit neglectorem, excutiat expergiſcendo torporem: qui ſe cupit eſſe ſui debitoris exactorem, De ſe cogitet debitorem: qui erubeſcit petere, ut ſibi frater ignoſcat, vincat per bonum timorem malum pudorem: ut noxiis inimicitiis finitis: ut eis mortuis, vos vivatis. Charitas, Fratres mei, in quantum adeſt, exerceatur bene vivendo: in quantum autem minùs eſt, impetretur petendo, *Serm.* 209. Dies iſti ſancti, quos agimus in obſervatione Quadrageſimæ, commonent nos de fraterna concordia loqui vobis, ut quicumque habet adversùs alium querelam, finiat, ne finiatur. Nolite iſta contemnere, Fratres mei. Cùm enim vita iſta mortalis & fragilis, quæ inter tot terrenas tentationes periclitatur, & orat ne ſubmergatur, non poteſt eſſe in quovis juſto ſine qualibuſcumque peccatis; unum eſt remedium per quod vivere poſſimus, quia docuit nos Magiſter Deus dicere in oratione: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus*

nostris. Pactum & placitum cum Deo fecimus, & conditionem solvendi debiti in cautione subscripsimus. Dimitti nobis plena fiducia petimus, si & nos dimittimus: si autem non dimittimus, dimitti nobis peccata non putemus, ne nos ipsos fallamus. Homo se non fallat, Deus neminem fallit. Humanum est irasci: & utinam nec hoc possemus. Humanum est irasci: sed non debet iracundia tua, natus surculus brevis, suspicionibus irrigari, & ad trabem odii pervenire. Aliud est enim ira, aliud odium. Nam sæpè etiam pater irascitur filio, sed non odit filium: irascitur, ut corrigat. Si propterea irascitur, ut corrigat, amando irascitur. Propterea dictum est: *Festucam in oculo fratris tui vides; trabem autem in oculo tuo non vides*, (*Mat.* 7.) Culpas in alio iram, & tenes odium in te ipso. In comparatione odii, ira festuca est. Sed festucam si nutrias, trabes erit: Si evellas & projicias, nihil erit, *Ser.* 211.

FERIA IV.

Orationem hominis Christiani, quam in Quadragesima frequentiorem & ferventiorem habere debet, qualem oporteat esse.

HIs diebus adminiculis piarum eleemosynarum, & frugalium jejuniorum oratio nostra in superna sustollitur: quia nec impudenter à Deo misericordia petitur, cùm ab homine homini non negatur,

tur, nec ſerena cordis petentis intentio carnalium voluptatum phantaſmatibus nubilis impeditur. Sit autem oratio caſta, ne fortè non quod charitas, ſed quod cupiditas quærit, optemus; ne inimicis mali aliquid imprecemur; ne in quos nocendo vel vindicando non poſſumus, orando ſæviamus, *Serm.* 207. Scio venire homines, genua figere, frontem terræ concutere, aliquando vultum ſuum lacrymis rigare; & in iſta tanta humilitate ac perturbatione dicere, Domine, vindica me, occide inimicum meum. Planè ora, ut occidat inimicum tuum, & ſalvet fratrem tuum: occidat inimicitias, ſalvet naturam. Sic ora, ut vindicet te Deus: pereat qui te perſequebatur, ſed maneat qui tibi reddatur, *Serm.* 211. Ora contra malitiam inimici tui: illa moriatur, & ille vivat. Si enim mortuus fuerit inimicus tuus, quaſi inimico caruiſti, ſed nec amicum inveniſti. Si autem mortua fuerit malitia ejus: & inimicum amiſiſti, & amicum inveniſti, *Serm.* 56. Certè ſicut nos apti efficimur ad orandum eleemoſynis & jejuniis, ſic & ipſa noſtra oratio facit eleemoſynas, cùm dirigitur atque profunditur, non pro amicis tantùm, verùm etiam pro inimicis, & jejunat ab ira & odio, & à perniciosiſſimis vitiis. Si enim nos jejunamus à cibis, quantò potiùs illa à venenis? Denique nos debitis opportuniſque temporibus alimentorum perceptione reficimur: numquam illam talibus eſcis oblectemus. Perpetua

ſuſcipiat iſta jejunia: quia eſt illi cibus proprius, quem ſumere ſine intermiſſione præcipitur. Semper ergo jejunet ab odio, ſemper dilectione paſcatur, *Serm.* 207. Quando venturus eſt, qui noluit dimittere, ad orationem, quid facturus eſt? Dicat: *Pater noſter qui es in cœlis*. Dicat, accedat: *Sanctificetur nomen tuum*, (*Matth.* 6.) Adhuc dic: *Veniat regnum tuum*. Sequere: *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra*. Adhuc ambula: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Dixiſti: quod ſequitur vide ne fortè velis tranſcendere, & aliud dicere. Non eſt quà tranſire poſſis, ibi teneris. Dic ergo, & verum dic: aut ſi non habes quare dicas: *Dimitte nobis debita noſtra*, noli dicere. Et ubi eſt illud quod Apoſtolus dixit: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt?* (1. *Joan.* 1.) Si autem mordet conſcientia fragilitatis, & in hoc ſæculo ubique abundantia iniquitatis; dic ergo: *Dimitte nobis debita noſtra*. Sed quod ſequitur vide. Noluiſti enim dimittere peccatum fratri tuo, & dicturus es: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*? An non es dicturus? Si non es dicturus, nihil es accepturus: ſi autem dicturus, falſum es dicturus. Ergo dic, & verum dic. Quomodo dicturus es verum, qui fratri tuo noluiſti relaxare peccatum? *Serm.* 211.

FERIA V.

Ad bona opera hoc tempore ferventiùs exercenda hominem Christianum excitare debet memoria illius, qui tanta nobis præstitit bona, & tanta pro nobis passus est mala.

IN adjutorio misericordiæ Domini Dei nostri, tentationes sæculi, insidiæ Diaboli, mundi labor, carnis illecebra, turbulentorum temporum fluctus, & corporalis omnis atque spiritualis adversitas, eleemosynis, & jejuniis, atque orationibus superandæ sunt. Hæc cùm per totam vitam fervere debeant Christiano; tum maximè propinquante solemnitate Paschali, quæ suo reditu anniversario nostras excitat mentes, innovans in eis memoria salutari, quod Dominus noster unicus Dei Filius misericordiam præstitit nobis, jejunavit oravitque pro nobis. Eleemosyna quippe Græcè, misericordia est. Quæ autem major esse misericordia super miseros potuit, quàm illa quæ cœli creatorem de cœlo deposuit, & terreno corpore terræ induit conditorem; eum qui in æternitate Patris manet æqualis, mortalitate coæquavit & nobis, formam servi mundi Domino imposuit; ut ipse panis esuriret, satietas sitiret, virtus infirmaretur, sanitas vulneraretur, vita moreretur? Hoc autem ut nostra pasceretur fames, rigaretur ariditas, consolaretur infirmitas, extingueretur ini-

quitas, ardesceret charitas. Quæ major misericordia, quàm creari creatorem, servire dominatorem, vendi redemptorem, humiliari exaltatorem, occidi suscitatorem? Nobis de præbendis eleemosynis præcipitur ut panem demus esurienti: ille seipsum ut nobis daret esurientibus, priùs pro nobis se tradidit sævientibus. Præcipitur nobis ut peregrinum recipiamus: Ille pro nobis in sua propria venit, & sui eum non receperunt, (*Joan.* 1.) Ipsum denique benedicat anima nostra, qui propitius fit omnibus iniquitatibus ejus, qui sanat omnes languores ejus, qui redimit de corruptione vitam ejus, qui eam coronat in miseratione & misericordia: qui satiat in bonis desiderium ejus, (*Psal.* 102.) Exerceamus itaque eleemosynas nostras tantò impensiùs, tantòque frequentiùs, quantò propinquior fit dies, qua nobis prærogata eleemosyna celebratur, *Sermon.* 207. Quæ major misericordia, quàm ut Deus Unicum suum daret nobis, non vivere nobiscum, sed mori pro nobis? *Enar.* 2. *in Psalm.* 30. *nu.* 7. Est misericordia abundantissima, & larga ejus benevolentia, qui nos sanguine Filii sui redemit, cùm propter peccata nostra nihil essemus. Nam ipse aliquid magnum fecit, cùm hominem ad imaginem & similitudinem suam creavit. Sed quia nos nihil voluimus fieri peccando, & traducem mortalitatis de parentibus duximus, & massa peccati, massa iræ facti sumus: placuit tamen illi per mise-

miſericordiam ſuam redimere nos tanto pretio: dedit pro nobis ſanguinem Unici ſui innocenter nati, innocenter viventis, innocenter mortui. Qui nos tanto pretio redemit, non vult perire quos emit. Non emit quos perdat, ſed emit quos vivificet. Si peccata noſtra ſuperant nos, pretium ſuum non contemnit Deus. Pretium magnum dedit. Nec tamen nobis tantum de ipſius miſericordia blandiamur, ſi non fuerimus conati adversùs peccata noſtra; nec ſi aliqua maximè capitalia fecerimus, ſperemus ita futuram eſſe miſericordiam, ut ei conjungatur iniquitas, *Serm.* 22.

FERIA VI.

Homo Chriſtianus lugeat modò cum Chriſto patiente, ut gaudere poſſit cum reſurgente.

SIc ſe habet, Fratres mei, ſic ſe habet miſeria noſtræ conditionis & Dei miſeratio, ut tempus mœſtitiæ tempus lætitiæ præcedat: ideſt, ut prius ſit tempus mœſtitiæ; poſterius tempus lætitiæ; prius ſit tempus laboris, poſterius quietis; prius ſit tempus calamitatis, poſterius felicitatis. Sic ſe habet miſeria noſtræ conditionis, ut diximus, & Dei miſeratio. Tempus enim mœſtitiæ, laboris, miſeriæ, peccata noſtra nobis pepererunt: tempus verò lætitiæ, quietis, felicitatis, non venit de meritis noſtris, ſed de gratia Savatoris.

ris. Aliud meremur, aliud ſperamus: meremur mala, ſperamus bona. Hoc facit miſericordia ejus, qui creavit nos, *Serm.* 254. Propter hæc duo tempora, unum quod nunc eſt in tentationibus & tribulationibus hujus vitæ, alterum quod tunc erit in ſecuritate & exultatione perpetua, inſtituta eſt nobis etiam celebratio duorum temporum, ante Paſcha & poſt Paſcha. Illud quod eſt ante Paſcha, ſignificat tribulationem, in qua modò ſumus: quod verò agimus poſt Paſcha, ſignificat beatitudinem, in qua poſteà erimus. Ante Paſcha ergo quod celebramus, hoc & agimus: poſt Paſcha autem quod celebramus, ſignificamus quod nondum tenemus. Propterea illud tempus in jejuniis & orationibus exercemus, hoc verò tempus relaxatis jejuniis in laudibus agimus. In capite noſtro nobis utrumque figuratum eſt, utrumque demonſtratum eſt. Paſſio Domini oſtendit nobis vitam præſentis neceſſitatis, quia oportet laborare, & tribulari, & ad extremum mori: reſurrectio verò & clarificatio Domini oſtendit nobis vitam, quam accepturi ſumus, cùm venerit retribuere digna dignis, mala malis, bona bonis, *Enarrat. in Pſal.* 148. *num.* 1. Domini Paſſio tempus noſtrum ſignificat, in quo nunc flemus. Flagella, vincula, contumeliæ, ſputa, ſpinea corona, vinum fellitum, in ſpongia acetum, inſultationes, opprobria, poſtremò ipſa crux, in ligno membra ſacra pendentia, quid nobis ſignifi-

cant,

cant, nisi tempus quod agimus, tempus mœroris, tempus mortalitatis, tempus tentationis? Ideo fœdum tempus. Fœda species, Crucifixi species: *Vidimus eum non habentem speciem neque decorem*: (*Isa.* 53.) Sed ista fœditas pulchritudinem parturit. Quam pulchritudinem? Resurrectionis. Quia *speciosus forma præ filiis hominum*, (*Psalm.* 44.) *Serm.* 254. *Magnificavit Dominus Sanctum suum*, (*Psalm.* 4.) Venit Christus ad miserias nostras, esurivit, sitivit, fatigatus est, dormivit, mira fecit, mala passus est, flagellatus est, spinis coronatus est, sputis illitus est, alapis cæsus, ligno confixus, lancea vulneratus, in sepulchro positus; sed tertio die resurrexit, finito labore, mortua morte. Ecce ibi oculum habete in ejus resurrectione; quia ita magnificavit Sanctum suum, ut resuscitaret eum à mortuis, & daret ei honorem in cœlo sedendi ad dexteram suam. Ostendit tibi quid debeas sapere, si vis beatus esse: hìc enim esse non potes. In hac vita beatus esse non potes: nemo potest. Bonam rem quæris, sed terra ista non est regio ejus rei, quam quæris. Quid quæris? Beatam vitam. Sed non est hìc. Aurum si quæreres in loco ubi non est, ille qui novit quia non est ibi, nonne diceret tibi. Quid fodis, quid terram sollicitas? Foveam facis quò descendas, non ubi aliquid invenias. Quid es responsurus admo-

nenti te? Aurum quæro. Et ille, Non tibi dico, Nihil est quod quæris: sed, Non est ubi quæris. Sic & tu quando dicis, Beatus esse volo: bonam rem quæris, sed non est hìc. Si habuit hìc illud Christus, habebis & tu. In regione mortis tuæ, quid ille invenit, attende: veniens de alia regione quid hìc invenit, nisi quod hìc abundat? Manducavit tecum quod abundat in cella miseriæ tuæ. Acetum hìc bibit, fel hìc habuit. Ecce quid in cella tua invenit. Sed ad magnam mensam suam te invitavit, mensam cœli, mensam Angelorum, ubi ipse panis est. Descendens ergo & ista mala inveniens in cella tua, & non dedignatus est talem mensam tuam, & promisit tibi suam. Et quid nobis dicit? Credite, credite vos venturos ad bona mensæ meæ, quando non sum dedignatus mala mensæ vestræ. Malum tuum tulit, & bonum suum non dabit? utique dabit. Vitam suam promisit nobis: sed incredibilius est quod fecit. Mortem suam prærogavit nobis: tamquam diceret, Ad vitam meam vos invito, ubi nemo moritur, ubi verè vita beata est, ubi cibus non corrumpitur, ubi reficit & non deficit. Ecce quò vos invito, ad regionem Angelorum, ad amicitiam Patris & Sancti Spiritus, ad cœnam sempiternam, ad fraternitatem meam; postremò ad meipsum, ad vitam meam vos invito. Non vultis credere, quia dabo vobis vitam meam? Tenete pignus mortem meam. Modò ergo cùm in ista

car-

carne corruptibili vivimus, morum mutatione cum Christo moriamur, amore justitiæ cum Christo vivamus: beatam vitam non accepturi, nisi cùm ad illum venerimus, qui venit ad nos, & cum illo esse cœperimus, qui mortuus est pro nobis, *Serm.* 231.

SABBATO.

Homo Christianus si vult cum Christo regnante glorificari, discat modò in Crucifixo gloriari.

ET ego, Fratres, veniens ad vos veni non in elatione verbi aut sapientiæ, annuntians vobis mysterium Dei. Numquid dixi me scire aliquid in vobis, nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum? (1. *Cor.* 2.) Etsi hoc solum sciebat, nihil est quod nesciebat. Magnum est scire Christum crucifixum: sed ante oculos parvulorum tamquam involutum posuit thesaurum. *Christum*, inquit, *crucifixum*. Quanta habet intus iste thesaurus? Alio loco, cùm metueret quibusdam, ne per philosophiam & inanem fallaciam seducerentur à Christo, thesaurum sapientiæ & scientiæ Dei promisit in Christo: *Cavete*, inquit, *ne quis vos seducat per philosophiam & inanem seductionem, secundùm elementa mundi, non secundùm Christum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*, (*Col.* 2.) Christus crucifixus, thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Nolite ergo, inquit,

nomine sapientiæ decipi. Ad hoc involucrum vos advocate, hoc vobis ut evolvatur, orate. Stulte hujus mundi Philosophe, quod quæris nihil est. Quid prodest, quia multùm sitis, & fontem calcando pertransis? Contemnis humilitatem, quia non intelligis majestatem: *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Non dixi aliquid me in vobis scire, nisi Jesum Christum & hunc crucifixum*: humilitatem ejus, quam irrident superbi, ut fiat in eis: *Increpasti superbos, maledicti enim qui declinant à mandatis tuis*, (*Psalm.* 118.) Et quod est mandatum ejus, nisi ut credamus in eum, & diligamus invicem? In quem credamus? In Christum crucifixum. Quod non vult audire superbia, hoc audiat sapientia. Hoc est mandatum ejus, ut credamus in Christum crucifixum. Hoc omnino: sed superbus iste, erecta cervice, tumenti gutture, elata lingua, inflatis buccis irridet Christum crucifixum. Maledicti ergo qui declinant à mandatis tuis. Quare irrident, nisi quia vilem vesticulam forinsecùs circumdatam vident, latentem intus thesaurum non vident? Videt carnem, videt hominem, videt crucem, videt mortem, ista contemnit. Mane, noli transire, noli spernere, noli insultare. Expecta, scrutare: fortè est aliquid intus quod te multùm delectet. Si invenias, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*. Videt oculus carnem: est infra carnem quod ocu-

lus

lus non videt. Audit auris tua vocem: est ibi quod auris non audivit. Ascendit in cor tuum, quasi de terrenis cogitationibus, homo crucifixus & mortuus: est illic quod in cor hominis non ascendit. Ascendunt enim in cor nostrum usitatæ cogitationes. *Ascendit*, inquit, *in cor Moysi visitare fratres suos*: (*Exod.* 2.) humana est ista cogitatio. Et cùm discipuli de ipso Domino dubitarent, & apud se ipsos dicerent, cùm subitò resurrexisse conspicerent, Ipse est, non est; caro est, spiritus est: hoc eis dicit, *Quid cogitationes ascendunt in cor vestrum?* (*Luc.* 24.) Quæramus ergo, si possumus, non quod in cor vestrum possit ascendere, sed quò cor nostrum mereatur ascendere. Merebitur enim in regnante glorificari, qui didicerit in Crucifixo gloriari. Unde videns ipse Apostolus, non solùm quò ascendat, sed etiam quà ascendat. Multi enim viderunt quò, nec viderunt quà: amaverunt celsitudinis patriam, sed ignoraverunt humilitatis viam. Sciens ergo Apostolus, & cogitans & præmeditans, non solùm quò, sed etiam quà, *Mihi*, inquit, *absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*. (*Gal.* 6.) Poterat dicere in sapientia Domini nostri Jesu Christi; & verum diceret: poterat, in majestate; & verum diceret: poterat, in potestate; & verum diceret: sed dixit in cruce. Ubi mundi philosophus erubuit, ibi thesaurum Apostolus reperit: non contemnendo vile involu-

crum,

crum, pervenit ad pretiosum involutum: *Absit*, inquit, *mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*. Bonam sarcinam sustulisti, ibi totum est quod quæsisti; & quid ibi magnum lateret, ostendisti. Quale adjutorium? *Per quem mihi*, inquit, *mundus crucifixus est, & ego mundo*. Quando tibi crucifigeretur mundus, nisi pro te crucifigeretur per quem factus est mundus? Ergo *qui gloriatur, in Domino glorietur*. (1. Cor. 1.) Quo Domino? Christo crucifixo. Ubi humilitas, ibi majestas; ubi infirmitas, ibi potestas; ubi mors, ibi vita. Si vis ad illa pervenire, noli ista contemnere. Hæc est doctrina Christiana humilitatis præceptum, humilitatis commendatio, ut non gloriemur, nisi in cruce Domini nostri Jesu. Nam non est magnum in Christi sapientia gloriari: magnum est in cruce Christi gloriari; unde tibi insultat impius, inde glorietur pius; unde insultat superbus, inde glorietur Christianus. Noli erubescere de cruce Christi: ideo in fronte tamquam in sede pudoris signum ipsum accepisti. Recole frontem tuam, ne linguam expavescas alienam. *Serm.* 160.

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

Homo Christianus si aspirat ad gloriæ sublimitatem, diligat modò crucis humilitatem.

D*Ixerunt ad eum fratres ejus: transi hinc & vade in Judæam; ut & disci-*

puli

puli tui videant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palàm esse, manifesta teipsum mundo. (*Joan.* 7.) Quòd eum videntur monere fratres, gloriæ ipsius consulunt: Facis mirabilia, innotesce, id est, appare omnibus ut laudari possis ab omnibus. Loquebatur caro carni: sed caro sine Deo, carni cum Deo. Loquebatur enim prudentia carnis Verbo quod caro factum est, & habitavit in nobis. Quid ad hæc Dominus? *Dixit ergo eis Jesus, tempus meum nondum venit, tempus autem vestrum semper est paratum.* Quid est hoc? Nondum venerat tempus Christi? Quare ergo Christus venerat, si tempus ejus nondum venerat? Nonne audivimus Apostolum dicentem: *Cùm autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum?* (*Gal.* 4.) Si ergo in plenitudine temporis missus est, quando debuit, missus est, quando oportuit, venit: quid est, *Tempus meum nondum venit?* Intelligite Fratres quo animo illi loquebantur, qui quasi fratrem suum monere videbantur. Dabant ei consilium consequendæ gloriæ, veluti sæculariter & terreno affectu monentes, ne esset ignobilis & latitaret: quod ergo ait Dominus, *Tempus meum nondum venit*, illis respondit, qui ei consilium de gloria dabant. Tempus gloriæ meæ nondum venit. Videte quàm profundum sit: de gloria illi admonebant, sed ille voluit altitudinem humilitate præcedere, & ad ipsam celsitudinem

per

per humilitatem viam ſternere. Nam & illi diſcipuli utique gloriam requirebant, qui volebant ſedere unus ad dexteram ejus & alter ad ſiniſtram: attendebant quò, & non videbant quà: Dominus eos, ut ordinatè venirent ad patriam, revocavit ad viam. Excelſa eſt enim patria, humilis via. Patria eſt vita Chriſti, via eſt mors Chriſti: patria eſt manſio Chriſti, via eſt paſſio Chriſti. Qui recuſat viam, quid quærit patriam? *Tract.* 28. *in Joan.* Quærebant altitudinem, dicentes ut unus eorum ſedeat ad dexteram tanti patrisfamilias, alter ad ſiniſtram. Magnam planè illi celſitudinem requirebant, magnam; ſed quoniam poſtponebant quà, vocat eos Chriſtus ab eo quò ire volebant, ad illud quà ire debebant. Quærentibus quippe tantam celſitudinem quid reſpondit? *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* (*Matth.* 20.) Quem calicem niſi humilitatis, niſi paſſionis? quem bibiturus, & in ſe tranſformans infirmitatem noſtram ait Patri, *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte.* (*Matth.* 24.) Iſtos ipſos in ſe tranſformans, qui talem calicem bibere recuſabant, & altitudinem quærebant, humilitatis viam negligebant, *Poteſtis bibere*, inquit, *calicem quem ego bibiturus ſum?* Chriſtum quæritis excelſum; redite ad Crucifixum. Vultis regnare & gloriari in ſedibus Chriſti? priùs diſcite dicere, *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti.* (*Gal.* 6.) *Serm.* 160. Hujus ſignum

in

in fronte gestamus, de quo non erubescimus, si & in corde gestemus. Signum ejus, est humilitas ejus. Per stellam eum Magi cognoverunt; & erat hoc signum de Domino datum, cœleste atque præclarum noluit stellam esse in frontibus fidelium signum suum, sed crucem suam. Unde humiliatus, inde glorificatus: inde erexit humiles, quò humiliatus ipse descendit. *Tract. 3. in Joan.* Signum crucis in fronte portamus. Hoc dico, Fratres, quia multi illud faciunt, & intelligere nolunt. Factorem quærit Deus signorum suorum, non pictorem. Si portas in fronte signum humilitatis Christi, porta in corde imitationem humilitatis Christi. *Serm. 32.*

FERIA II.

Homo Christianus si illuc cupit pervenire, quò Christus præcessit, non declinet viam asperam, quà incessit.

A*Scensiones in corde ejus disposuit, in convalle plorationis, in locum quem disposuit.* (*Ps.* 83.) Convallis humilitatem significat, mons celsitudinem significat. Est mons quò ascendamus, spiritualis quædam celsitudo. Et quis est ille mons, quò ascendimus, nisi Dominus noster Jesus Christus? Ipse tibi fecit patiendo convallem plorationis, qui fecit manendo montem ascensionis. Quid est vallis plorationis? *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* (*Jo.* 1.) Quid est vallis plorationis? *Præbuit percutienti se*

ma-

maxillam, ſaturatus eſt opprobriis. (*Thren.* 3.) Quid eſt vallis plorationis? Colaphizatus eſt, ſputis illitus, ſpinis coronatus, crucifixus eſt. Hæc eſt vallis plorationis, unde tibi aſcendendum eſt. Sed quò aſcendendum eſt? *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ipſum enim Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Sic deſcendit ad te, ut maneret in ſe: deſcendit ad te, ut fieret tibi convallis plorationis; manſit in ſe, ut eſſet tibi mons aſcenſionis. *Erit*, inquit Iſaias, *in noviſſimis diebus manifeſtus mons Domini paratus in cacumine montium.* Ecce quò aſcendendum eſt. Hinc ergo aſcendendum eſt, illuc aſcendendum eſt, ab exemplo ipſius, ad divinitatem ipſius. Exemplum enim tibi fecit humiliando ſe. *Enar. in Pſalm.* 119. *num.* 1. Quà præceſſit, tu ſequi quid times? Quà præceſſit? Per tribulationes, per anguſtias, per opprobria. Septa erat via, ſed antequam tranſires: poſtea quàm tranſiit, ſequere, jam patet via illius tranſitu. *Enar. in Pſ.* 59. *num.* 10. *Abneget*, inquit, *ſe, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* (*Marc.* 8.) Quò ſequendus eſt Dominus? Quò iit, novimus. Reſurrexit enim, & aſcendit in cœlum: illò ſequendus eſt. Planè deſperandum non eſt, quia ipſe promiſit, non quia homo aliquid poteſt. Longè à nobis erat cœlum antequam caput noſtrum iiſſet in cœlum. Jam quare deſperemus, ſi membra illius capitis ſumus? Illò ergo ſe-

ſequendus eſt. Et quis nolit eum ſequi ad talem ſedem? Maximè quia multùm timoribus & doloribus laboratur in terra. Quis nolit illò ſequi Chriſtum, ubi ſumma eſt felicitas, ſumma pax, perpetua ſecuritas? Bonum eſt illò eum ſequi, ſed videndum eſt quà. Etenim verba iſta Dominus Jeſus non tunc dicebat, quando à mortuis jam reſurrexerat. Nondum erat paſſus, venturus erat ad crucem, venturus ad exhonorationem, ad contumelias, ad flagella, ad ſpinas, ad vulnera, ad inſultationes, opprobria, mortem. Quaſi exaſperata eſt via, pigrum te facit: non vis ſequi. Sequere. Aſperatum eſt quod ſibi homo fecit, ſed contritum eſt quod Chriſtus redeundo calcavit. Nam quis non velit ire ad exaltationem? Omnes delectat celſitudo: ſed humilitas gradus eſt. Quid tendis pedem ultra te? Cadere vis, non aſcendere. A gradu incipe, & aſcendiſti. Iſtum gradum humilitatis nolebant attendere duo illi diſcipuli, qui dicebant: (*Matth.* 20.) Domine, jube ut unus noſtrùm in regno tuo ſedeat ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram. Sublimitatem quærebant, gradum non videbant. Dominus autem oſtendit gradum. Quid enim reſpondit? *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Qui quæritis apicem ſublimitatis, poteſtis bibere calicem humilitatis? Ideo non utcumque ait: *Abneget ſemetipſum, & ſequatur me:* ſed addidit, *Tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Serm. 96.*

FE-

FERIA III.

Homo Christianus contempletur modò Christum pro nobis in passione deformatum, ut aliquando in cœlo videre mereatur speciosum.

QUamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino: (2. *Cor.* 5.) per fidem enim ambulamus, & non per speciem. Quid est per speciem? *Speciosus forma præ filiis hominum.* (*Psalm.* 44.) Quia *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum?* (*Joan.* 1.) *Qui diligit me*, inquit, *mandata mea custodit; & qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum.* (*Joan.* 14.) Et quid illi dabis? *Et ostendam meipsum illi.* Hæc erit species, quando faciet quod dixit, *Et ostendam meipsum illi.* Ibi sine codice in Verbo leges. Ergo cùm viderimus eum sicuti est, jam transiet peregrinatio nostra: postea verò gaudebimus gaudio Angelorum. Hæc enim via quid est? Fides est. Propter fidem tuam factus est deformis Christus, manet autem speciosus Christus. Speciosus forma præ filiis hominum videbitur post peregrinationem. Modò autem fide qualis videtur? *Et vidimus eum, & non habebat speciem, neque decorem: sed vultus ejus abjectus, & deformis positio ejus, homo in plaga positus, & sciens ferre infirmitates.* (*Isa.* 53.) Deformitas Christi te format. Ille enim si deformis esse noluisset, tu formam quam

per-

perdidisti non recepisses. Pendebat ergo in cruce deformis: sed deformitas illius pulchritudo nostra erat. In hac ergo vita deformem Christum teneamus. Quid est deformem Christum? *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* (*Gal.* 6.) Hæc est deformitas Christi. Hæc est via, credere in Crucifixum. Hujus deformitatis signum in fronte portamus: de ista deformitate Christi non erubescamus. Hanc viam teneamus, & ad speciem perveniemus. *Serm.* 27. Parum est ut non inde erubescas, nisi etiam & glorieris. Quare non habuit speciem neque decorem? Quia Christus crucifixus, Judæis quidem scandalum, Gentibus stultitia. (1. *Cor.* 1.) Quare autem & in cruce habuit decorem? Quia quod stultum est Dei, sapientius est quàm homines; & quod infirmum est Dei, fortius est quàm homines. (*Ibid. v.* 25.) Et hoc ipsum quod carnem indutus est, ut de illo etiam diceretur, *Vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem*: si consideres misericordiam qua factus est, & ibi pulcher est. Sed Judæorum personam gerebat Propheta, cum diceret, *Vidimus eum & non habebat speciem neque decorem.* Nobis ergo jam credentibus, ubique sponsus pulcher occurrat. Pulcher Deus, Verbum apud Deum: pulcher in utero Virginis, ubi non amisit divinitatem, & sumpsit humanitatem: pulcher natus infans Verbum;

bum; quia & cum esset infans, cùm sugeret, cùm manibus portaretur, cœli locuti sunt, Angeli laudes dixerunt, Magos stella direxit, adoratus est in præsepi, cibaria mansuetorum. Pulcher ergo in cœlo, pulcher in terra; pulcher in utero, pulcher in manibus parentum; pulcher in miraculis, pulcher in flagellis; pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem; pulcher deponens animam, pulcher recipiens; pulcher in ligno, pulcher in sepulchro, pulcher in cœlo. *Enar. in Ps. 44. num.* 3. Ergo persequentibus fœdus apparuit; & nisi eum fœdum putarent, non insilirent, non flagellis cæderent, non spinis coronarent, non sputis inhonestarent: sed quia fœdus illis apparebat, fecerunt illi ista; non enim habebant oculos unde Christus pulcher videretur. Qualibus oculis Christus pulcher apparuit? Quales oculos quærebat ipse Christus, quando dicebat Philippo, *Tanto tempore vobiscum sum, & non me vidistis?* (*Jo.* 14.) Isti oculi mundandi sunt, ut possint videre illam lucem: & leviter tamen perstricti splendore, accenduntur amore, ut sanari velint, & fiant illuminati. Nam ut noveritis quia pulcher est Christus qui amatur, ait Propheta, *Speciosus forma præ filiis hominum.* (*Psalm.* 44.) Omnes homines superat illius pulchritudo. Quam rem amamus in Christo? Membra crucifixa, latus perforatum, an charitatem? Quando audimus quia passus est pro nobis, quid

ama-

amamus? Charitas amatur. Amavit nos, ut redamaremus eum; & ut redamare possemus, visitavit nos spiritu suo. Pulcher est ille. *Enar. in Psalm. 127. n. 8.*

FERIA IV.

Consideret Homo Christianus in latere Christi apertum sibi esse ostium, quo intrare possit ad vitam.

UNus *militum lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua.* (*Joan.* 19.) Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed *aperuit*: ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam quæ vera vita est, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum: aqua illa salutare temperat poculum: hæc & lavacrum præstat, & potum. Hoc prænuntiabat quod Noe in arce latere ostium facere jussus est, (*Gen.* 6.) quà intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura, quibus prefigurabatur Ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, & appellata est vita materque vivorum. (*Gen.* 2.) Magnum quippe significavit bonum, ante magnum prævaricationis malum. Hic secundus Adam inclinato capite in cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjux, quod de latere dormientis effluxit. O mors unde mor-

tui reviviſcunt! Quid iſto ſanguine mundius? Quid iſto vulnere ſalubrius? *Tract.* 120. *in Joan.* Patet, quà intres: Chriſtus eſt janua. Et tibi eſt oſtium apertum, quando eſt latus ejus lancea perforatum. Quid inde manavit recole; & elige quà poſſis intrare. De latere Domini pendentis & morientis in ligno, poſtea quàm eſt lancea perforatum, aqua ſanguiſque profluxit. In uno eſt mundatio tua, in altero redemptio tua. *Serm.* 311. Percuſſit latus lancea perſecutor, & fudit pretium Redemptor. Hic ſanguis inebriat mentem ut amorem obliviſcatur mundi. Hæc aqua mundat animam, ut corpus ſordibus careat Diaboli. *Tract. de Cataclyſmos. n.* 5. Veniant omnes quicumque amant paradiſum, locum perpetuæ felicitatis, locum in quo non pertimeſcas barbarum, in quo nullum patiaris adverſarium, nullum habeas inimicum: venite omnes, intrate omnes: patet latus. Oſtendit enim ille latro, quò debeant omnes intrare, neminem ſuo exemplo docuit deſperare. *Contendite*, ait Dominus, *intrare per anguſtam portam*. (*Luc.* 13.) Quid anguſtius illo foramine, quod unus è militibus percutiendo latus Crucifixi aperuit? & tamen per has anguſtias pene jam totus mundus intravit. Venite & vos Judæi, vocat vos quem crucifixiſtis Filius Dei. *Contendite intrare per anguſtam portam*: per hanc enim introjerunt patres veſtri. Illi qui ut crucifigeretur clamaverunt, qui in ligno ſuſpen-

ſpenſum viderunt, qui irriſerunt, qui caput agitaverunt, per iſtas tamen anguſtias introjerunt. Non enim inaniter clamabat ille pendens in cruce, *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*. (*Luc.* 23.) Per has ergo, ut dixi, anguſtias, per anguſtam portam lateris Chriſti ingreſſus eſt latro mutatus, pœnitens Judæus, converſus omnis paganus. *Tract. de tempore Barbarico. cap.* 7. *&* 8.

FERIA V.

Aſpiciat homo Chriſtianus crucifixum Salvatorem, ut deperditam obtineat ſalutem.

DEſcendit & mortuus eſt, & ipſa morte liberavit nos à morte: morte occiſus, mortem occidit. Et noſtis, Fratres quia mors iſta per Diaboli invidiam intravit in mundum. *Deus mortem non fecit*, (*Sap.* 1.) Scriptura loquitur; *nec lætatur*, inquit, *in perditione vivorum: creavit enim ut eſſent omnia*. (*Sap.* 2.) Sed quid ibi ait? *Invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum*. Ad mortem à Diabolo propinatam non veniret homo vi adductus: non enim cogendi potentiam Diabolus habebat, ſed perſuadendi verſutiam. Non conſentires, nihil invexerat Diabolus: conſenſio tua, ò homo, te perduxit ad mortem. A mortali mortales nati, ex immortalibus mortales facti. Ab Adam omnes homines mortales: Jeſus au-

tem Filius Dei, Verbum Dei, per quod facta ſunt omnia, unicus æqualis Patri, mortalis factus eſt, quia Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Ergo mortem ſuſcepit, & mortem ſuſpendit in cruce: & de ipſa morte liberantur mortales. Quod in figura factum eſt apud antiquos, commemorat illud Dominus, *Et ſicut*, inquit, *Moyſes exaltavit ſerpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam*. (*Joan.* 3.) Magnum ſacramentum. Proſternebatur in eremo populus Iſrael morſibus ſerpentum, fiebat magna ſtrages multarum mortium: (*Num.* 3.) plaga enim Dei erat corripientis, & flagellantis, ut erudiret. Demonſtratum eſt ibi magnum ſacramentum rei futuræ, ipſe Dominus teſtatur in hac lectione, ut nemo poſſit aliud interpretari quàm quod ipſa veritas de ſe indicat. Dictum eſt enim ad Moyſen à Domino, ut faceret æneum ſerpentem, & exaltaret in ligno in eremo, & admoneret populum Iſrael, ut ſi quis morſus eſſet à ſerpente, illum ſerpentem in ligno exaltatum attenderet. Factum eſt: mordebantur homines, intuebantur, & ſanabantur. Quid ſunt ſerpentes mordentes? peccata de mortalitate carnis. Quis eſt ſerpens exaltatus? mors Domini in cruce. Quia enim à ſerpente mors, per ſerpentis effigiem figurata eſt. Morſus ſerpentis lethalis, mors Domini vitalis. Attenditur ſer-

pens,

pens, ut nihil valeat ſerpens. Quid eſt hoc? Attenditur mors, ut nihil valeat mors. Sed cujus mors? Mors vitæ: ſi dici poteſt, Mors vitæ; immo quia dici poteſt mirabiliter dicitur. Sed numquid non erit dicendum, quod fuit faciendum? Ego dubitem dicere, quod Dominus pro me dignatus eſt facere? Nonne vita Chriſtus? & tamen in cruce Chriſtus. Nonne vita Chriſtus? & tamen mortuus Chriſtus. Sed in morte Chriſti mors mortua eſt; quia vita mortua occidit mortem, plenitudo vitæ deglutivit mortem: abſorpta eſt mors in Chriſti corpore. Sic & nos dicemus in reſurrectione, quando jam triumphantes cantabimus, *Ubi eſt mors contentio tua? ubi eſt mors aculeus tuus?* (1. *Cor.* 15.) Interim modò, Fratres, ut à peccato ſanemur, Chriſtum crucifixum intueamur: quia *ſicut Moyſes*, inquit, *exaltavit ſerpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Quomodo qui intuebantur illum ſerpentem, non peribant morſibus ſerpentum: ſic qui intuentur fide mortem Chriſti, ſanantur à morſibus peccatorum. Sed illi ſanabantur à morte ad vitam temporalem: hic autem ait, ut *habeant vitam æternam*. Hoc enim intereſt inter figuratam imaginem & rem ipſam: figura præſtabat vitam temporalem; res ipſa cujus illa figura erat, præſtat vitam æternam. *Tract.* 12. *in Joan.*

FERIA VI.

Perpendat Homo Christianus quanto pretio sit redemptus : pretioso sanguine Unigeniti Filii Dei.

O Anima pretiosa, redempta sanguine Agni immaculati, attende quanti valeas, quid pro te datum sit cogita. *Enar. in Psal. 69. num.* 4. Dominus tuus & verbo suo creavit te, & sanguine suo redemit te. Si viluisti tibi, recole pretium. *Serm.* 36. Egit enim in cruce grande commercium; ibi solutus est sacculus pretii nostri: quando latus ejus apertum est lancea percussoris, emanavit inde pretium totius orbis. *Serm.* 329. *Conscidisti saccum meum, & accinxisti me lætitia.* (*Psalm.* 29.) Saccus ejus erat similitudo carnis peccati. Non tibi vilescat, quòd ait, *saccum meum*: ibi erat inclusum pretium tuum. *Conscidisti saccum meum.* In passione conscissus est saccus. Quomodo ergo Deo Patri dicitur, *Conscidisti saccum meum?* Quomodo Patri dicatur, vis audire? Quia *proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* (*Rom.* 1.) Fecit enim per Judæos nescientes, unde redimerentur scientes, & confunderentur negantes. Nesciunt enim quid boni nobis operati sunt malo suo. Suspensus est saccus, & quasi lætatus est impius: Conscidit saccum lancea persecutor, & fudit pretium nostrum Redemptor. Cantet Christus Redemptor, gemat Judas vendi-

ditor, erubeſcat Judæus emptor. Ecce Judas vendidit, Judæus emit, malum negotium egerunt, ambo damnificati ſunt, ſeipſos perdiderunt venditor & emptor. Emptores eſſe voluiſtis: quanto meliùs redempti eſſetis? Ille vendidit, iſte emit: infelix commercium; nec iſte habet pretium, nec iſte habet Chriſtum. Huic dico, Ubi eſt quod accepiſti? Illi dico, Ubi eſt quod emiſti? Huic dico, Ubi vendidiſti, te decepiſti. Exulta Chriſtiane, in commercio inimicorum tuorum tu viciſti. Quod iſte vendidit & ille emit, tu acquiſiſti. *Serm.* 336. Gaudete, Fratres Chariſſimi, quia redemptionis noſtræ pretium perſolutum eſt. Non modica quantitate conſtamus, pro quibus ipſe factus eſt pretium qui redemit. Chriſtus enim Dominus & Salvator ideo natus eſt, ut doceret; ideo mortuus eſt, ut ſanaret. Crux fuit mortifera Chriſto, ſed ſalutifera Chriſtiano. *Serm.* 163. *in Append.* Agnoſce, homo, quantum valeas, & quantum debeas: & dum tantam redemptionis tuæ perſpicis dignitatem, ipſe tibi indicito peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro ſtulto ſapientia illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur juſtitia pro iniquo, miſericordia afficitur pro crudeli, pro miſero repletur ſinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo. *Serm.* 153. *in Append.* Agnoſcat homo, quantum ab illo expectet Deus; & quem tan-

tanta dignatione habuit carum, quàm velit esse in conversatione pretiosum. Agnoscat homo quantum valeat, & quantum debeat: & dum pretium suum cogitat, vilis sibi esse desinat, & potiùs vicem muneris Salvatori ex ipso bono suo, id est, de conservata salute restituat. Custodiamus ergo sollicitè quod tanti sudoris commercio Christus redemit. Reus erit non parvi pretii, sed sanguinis Christi, qui violat & commaculat animam, Christi sanguine & passione mundatam. *Ser.* 154. *in Append.*

SABBATO.

Consideret homo Christianus, Christi sanguinem servis esse redemptionis pretium, Ecclesiæ dotem ac thesaurum.

SAnguis ille pro servis pretium est, pro sponsa pignus est. *Enar. in Psalm.* 122. *num.* 5. Accipiat sponsus sponsam, quæratur, inveniatur quæ ei conjungatur. Non est solus homo, sed Deus est & homo: quæratur quæ ei conjungatur. Qualis est de qua natus est, talis ei inveniatur, qui & matrem reddat fœcundam, & virginem servet intactam. Filius permanentis virginis, virginem permansuram accipiat. Ecce tempus est: modò Judæi suam impleant voluntatem, quando dignatur ipse dare potestatem. Agite Judæi nescientes nuptias Agni, date præmium pecuniæ malo nebuloni Judæ: agite ut ille qui natus est de

Virgine, à Pontio Pilato ſuſpendatur in cruce. Aſcendat ſponſus noſter thalami ſui lignum, aſcendat ſponſus noſter thalami ſui lectum. Dormiat moriendo, aperiatur ejus latus, & Eccleſia prodeat virgo: ut quomodo Eva facta eſt ex latere Adæ dormientis, ita & Eccleſia formetur ex latere Chriſti in cruce pendentis. Percuſſum eſt enim ejus latus, ut Evangelium loquitur, & ſtatim manavit ſanguis & aqua, quæ ſunt Eccleſiæ gemina Sacramenta. Aqua, (*Joan.* 19.) in qua eſt ſponſa purificata: ſanguis, ex quo invenitur eſſe dotata. In iſto ſanguine ſancti Martyres amici ſponſi ſtolas ſuas laverunt, candidas eas fecerunt, ad nuptias Agni invitati venerunt, à ſponſo calicem acceperunt, biberunt, eique propinaverunt. Sanguinem ejus biberunt, ſanguinem ſuum pro illo fuderunt. Quid egit veſana impietas Judæorum, quia invitati non ſolùm venire noluerunt, ſed inſuper ſponſum occiderunt? Quid egit iniquitas Judæ qui eum vendidit, à quo redimi debuit? Exulta, exulta ſponſa Eccleſia: quia niſi iſta in Chriſto facta eſſent, tu ab illo formata non eſſes. Venditus redemit te, occiſus dilexit te: & quia te plurimùm dilexit, mori voluit propter te. O magnum ſacramentum hujus conjugii! ò quàm magnum myſterium hujus ſponſi & hujus ſponſæ! non explicabitur dignè humanis verbis. De ſponſo ſponſa naſcitur, & ut naſcitur, ſtatim illi conjungitur; & tunc ſpon-

ſa nubit, quando ſponſus moritur; & tunc ille ſponſæ conjungitur, quando à mortalibus ſeparatur: quando ille ſuper cœlos exaltatur, tunc iſta in omni terra fœcundatur. Quid eſt hoc? Quis eſt iſte ſponſus abſens & præſens? Quis eſt iſte ſponſus præſens & latens, quem ſponſa Eccleſia fide tantùm concipit, & ſine ullo amplexu membra ejus quotidie parit? *L. 2. de Symb. ad Cathecum. cap. 6.* Eruit eam de mancipatu Diaboli: mortuus eſt propter delicta ejus, reſurrexit propter juſtificationem ejus, Quis offeret tanta ſponſæ ſuæ? Offerant homines quælibet ornamenta terrarum, aurum, argentum, lapides pretioſos, equos, mancipia, fundos, prædia: numquid aliquis offerret ſanguinem ſuum? Si enim ſanguinem ſuum ſponſæ dederit, non erit qui ducat uxorem. Dominus autem ſecurus moriens, dedit ſanguinem ſuum pro ea quam reſurgens haberet *Tract. 8. in Joan.* In utero Virginis humanam carnem velut arrham accepit: in cruce pretioſiſſimam dotem ſuum ſanguinem fudit, in reſurrectione atque aſcenſione ſua æterni matrimonii fœdera roboravit. *Serm. 372.*

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

Attendat homo Christianus, quantùm divina erga nos dilectio in passione Christi reluceat.

SCiens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. (*Joan.* 13.) Video posse ista verba Evangelica quodam humano modo etiam sic accipi, tamquam usque ad mortem Christus dilexerit suos, ut hoc videatur esse, *in finem dilexit eos*. Humana est hæc sententia, non divina: neque enim nos hucusque ille dilexit, qui semper & sine fine nos diligit. Absit ut dilectionem morte finierit, qui non est morte finitus. Etiam post mortem quinque fratres suos dilexit dives ille superbus atque impius, & usque ad mortem nos dilexisse putandus est Christus? absit Charissimi. Nequaquam ille nos diligendo usque ad mortem veniret, si dilectionem nostram morte finiret. Nisi fortè ita sit intelligendum, *in finem dilexit eos*: Quia tantùm dilexit eos, moreretur propter eos. Hoc enim testatus est dicens: *Majorem hac charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* (*Joan.* 15.) Ita sanè non prohibemus intelligi, *in finem dilexit*, id est, usque ad mortem illum dilectio ipsa perduxit. *Tract.* 55. *in Joan.* Scimus enim, Fratres, & fide firmissima re-

tinemus, Christum mortuum esse pro nobis; pro peccatoribus justum, pro servis Dominum, pro captivis liberum, pro ægrotis medicum, pro miseris beatum, pro egenis opulentum, pro perditis quæsitorem, pro venditis redemptorem, pro grege pastorem, & quod est omnibus mirabilius, pro creatura Creatorem: servantem tamen quod semper est, tradentem quod factus est: Deum latentem, hominem apparentem; virtute vivificantem, infirmitate morientem, divinitate immutabilem, carne passibilem. *Ser.* 220. Sic nos Deus dilexit, ut unicum Filium suum mitteret, qui humilitate nostræ mortalitatis indutus, & à peccatoribus, & pro peccatoribus moreretur. Quis non redamare affectet justissimum & misericordissimum Deum, qui prior sic amavit injustissimos & superbissimos homines, ut propter eos mitteret unicum Filium, per quem fecit omnia, qui non sui mutatione, sed hominis assumptione homo factus, non solùm cum eis vivere, sed etiam pro eis, & ab eis posset occidi? *L. de Catechiz. Rudib. cap.* 17. & 22. Quanta dilectio est in Domino, quando pro peccatoribus & impiis Christum crucifigendum misit, & pretio sanguinis ejus nos redemit, qui ei inimici eramus, amando ea quæ fecit pro eo qui fecit? Cùm ergo ista faceremus, misit Deus, sicut Apostolus dicit, Filium suum; & eum pro nobis impiis, ab aliis impiis occidendum tradidit. (*Gal.* 4.) Ecce quomo-

modo Deus diligit homines! *Ser.* 5. Quomodo nos amasti Pater bone, qui Filio tuo unico non pepercisti, sed pro nobis impiis tradidisti eum? Quomodo nos amasti pro quibus ille, non rapinam arbitratus esse æqualis tibi, factus est subditus usque ad mortem crucis, unus ille in mortuis liber, potestatem habens ponendi animam suam, & potestatem habens iterum sumendi eam; pro nobis tibi victor & victoria; & ideo victor quia victima: pro nobis tibi sacerdos & sacrificium; & ideo sacerdos, quia sacrificium: faciens tibi nos de servis filios, de te nascendo, nobis serviendo. Meritò mihi spes valida in illo est, quòd sanabis omnes languores meos, per eum qui sedet ad dexteram tuam & te interpellat pro nobis; alioquin desperarem. Multi enim & magni sunt iidem languores mei, multi sunt & magni, sed amplior est medicina tua. Potuimus putare Verbum tuum remotum esse a conjunctione hominis, & desperare de nobis, nisi caro fieret & habiraret in nobis. Ille tuus Unicus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscondi-ti, redemit me sanguine suo. Non calumnientur mihi superbi: quoniam cogito pretium meum, & manduco, & bibo, & erogo, & pauper cupio saturari ex eo inter illos qui edunt & saturantur, & laudant Dominum qui requirunt eum. *L.* 10. *Conf. cap.* 43.

FERIA II.

Proponat sibi homo Christianus Christi patientis immensam erga nos charitatem, eumque sequi & imitari studeat.

QUanta Christus pro nobis sustinuerit, puto charitatem vestram ignorare non posse. Tamen exinde aliquid dicam, si tamen de tanto aliquid dignè dicam. Prius illud, quòd Deus homo; quòd Verbum caro factum est; quòd multa bona fecit, & mala perpessus est; quòd mortuos suscitavit, & mortuus est; quòd singularis illa patientia pertulit Diabolum tentatorem, discipulum traditorem; quòd ipsum Judam priùs quàm ostenderet traditorem pertulit furem, & ante experimentum vinculorum, crucis ac mortis, labiis ejus dolosis non negavit osculum pacis. In ipsa autem morte quanta sustinuit? Pertulit odiorum flammas, ministras pessimi cordis linguas. Clamaverunt Judæi, Crucifige crucifige: ut rei remanerent Judæi, (*Luc.* 23.) innocens ab eis crucifixus est Filius Dei. Ad crucem ducitur, expalmatur, qui est vera palma victoriæ. Spinis coronatur, qui spinas peccatorum venit confringere. Ligatur qui solvit compeditos. Ligno suspenditur, qui erigit elisos. (*Ps.* 145.) Aceto potatur fons vitæ, disciplina cæditur, salus vulneratur, vita moritur: occidit ad tempus vitam mors, ut in perpetuum a vita occideretur mors. Quis exegit tanta ista de Deo nostro,

ſtro, Fratres, pro noſtra redemptione ac ſalute, niſi charitas, quæ numquam cadit? O charitas, quàm magnas vires habes, quæ de cœlo Deum depoſuiſti! (1. *Corinth.* 13.) O chara ſanctitas! O ſancta, ac vera charitas, quæ tanta es in terris, quanta eris in cœlis? Quæ tantum potes in hac pugna mortalitatis adhuc ſollicita, quantum poteris in illa pace perfecta, ſecura? Evigila itaque omnis anima Chriſtiana, & ſi in te eminet virtus charitatis quæ *omnia ſuſtinet*, Domini tui imitare veſtigia: *Chriſtus enim*, ait Apoſtolus Petrus, *pro vobis paſſus eſt relinquens vobis exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus*, (1. *Pet.* 2.) Et ſi ille propter te de cœleſti ſede ad terrena deſcendit: tu propter te fuge terrena, appete cœleſtia. Si dulcis eſt mundus, dulcior eſt Chriſtus: ſi amarus eſt mundus, omnia pro te ſuſtinuit Chriſtus. Via tibi factus eſt ipſe Salvator: ſurge, ambula, habes quò, noli pigreſcere. Sed fortè quæris, quò? Vides enim viam, & quæris quò ducat hæc ipſa via? Ad veritatem & ad vitam ducit: Si amas veritatem, ſi amas vitam, & cupis ad veritatem, & ad vitam venire, à via noli errare. Video, inquis, viam, & cupio ambulare: ſed amara eſt, aſpera eſt, arcta enim, & anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam, (*Matth.* 7.) Chriſtus tranſivit, & adhuc aſpera eſt? Caput tranſiit, & membra dubitant? Sed

Chri-

Christus, inquis, Deus & homo; ego autem homo. Tot millia Martyrum transierunt; & adhuc tibi aspera est. Transierunt senes, transierunt juvenes, transierunt pueri, puellæ transierunt, viam quam timebas tritam tibi fecerunt. Ambula ergo viam, securus ambula. Quid enim metuis in hac via? Mortem? Et mortem times, qui ad vitam curris? Si bonus es, bene in hac via curris: mors tibi janua erit, quæ te repræsentet, non quæ auferat vitæ. Ambula ergo viam: imò ipse qui propter te factus est via, ipse te ducat per seipsum ad seipsum. Ipse enim est via, veritas, & vita, (*Jo.* 14.) Dic ergo Deo tuo, ò anima fidelis & pia; dic, dic, secura dic, & cum Propheta veraciter exclama: *Deduc me Domine in via tua, & ambulabo in veritate tua,* (*Psalm.* 85.) Tunc ad te securus perveniam, si in finem usque tua gratia non deserar, *Serm.* 106. *in Append.*

FERIA III.

Christus pati voluit in Paschali solemnitate, ut ostenderet, seipsum esse verum Pascha pro omnium salute immolandum.

A*Nte diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos,* (*Joan.* 13.) Pascha, Fratres, non sicut quidam existimant, Græcum nomen est, sed Hebræum: opportunissimè tamen oc-

currit

currit in hoc nomine quædam congruentia utrarumque linguarum. Quia enim pati Græcè πάσχειν dicitur, ideo Pascha passio putata est, velut hoc nomen à passione sit appellatum: in sua vero lingua, hoc est in Hebræa, Pascha transitus dicitur: propterea tunc primùm Pascha celebravit populus Dei, quando ex Ægypto fugientes, rubrum mare transierunt, (*Exod.* 14.) Nunc ergo figura illa prophetica in veritate completa est, cùm sicut ovis ad immolandum ducitur Christus, (*Isa.* 53.) cujus sanguine illitis postibus nostris, (*Exod.* 12.) idest, cujus signo crucis signatis frontibus nostris, à perditione hujus sæculi tamquam à captivitate, vel interemptione Ægyptia liberamur: & agimus saluberrimum transitum, cùm à Diabolo transimus ad Christum, & ab instabili sæculo ad ejus fundantissimum regnum. Ideò quippe ad Deum permanentem transimus, ne cum mundo transeuntem transeamus. De hac nobis collata gratia Deum laudans Apostolus dicit: *Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii charitatis suæ*, (*Col.* 1.) Hoc itaque nomen, idest, Pascha, quod Latinè, ut dixi, transitus nuncupatur, velut interpretans nobis beatus Evangelista: *Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Ecce Pascha, ecce transitus. Unde, & quo? *De hoc*, scilicet, *mundo ad Patrem.* Spes membris

in

in capite data est, quod essent illo transeunte sine dubio secutura. Quid ergo infideles, & ab hoc capite & ejus corpore alieni, nonne & ipsi transeunt, quia non permanent? Transeunt planè & ipsi: sed aliud est transire de mundo, aliud est transire cum mundo: aliud ad Patrem, aliud ad hostem. Nam & Ægyptii transierunt, non tamen transierunt per mare ad regnum, sed in mari ad interitum, *Tractat. 55. in Joan. Proximum erat Pascha Judæorum*, (*Joan.* 11.) Illum diem festum Judæi cruentum habere Domini sanguine voluerunt. Illo die festo occisus est Agnus, qui nobis eumdem diem festum suo sanguine consecravit. Consilium erat inter Judæos de occidendo Jesu: ille qui de cœlo venerat pati, propinquare voluit loco passionis, quia imminebat hora passionis: *Ascenderunt ergo multi Jerosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent seipsos*. Hoc faciebant Judæi secundùm præceptum Domini, per sanctum Moysen in Lege mandatum, ut die festo quod Pascha erat, omnes undique convenirent, & illius diei celebratione sanctificarentur. Sed illa celebratio umbra erat futuri. Quid est, umbra futuri? Prophetia Christi venturi, prophetia pro nobis illo die passuri: ut transiret umbra, & lux veniret; ut transiret significatio, & veritas teneretur. Habebant ergo Judæi Pascha in umbra, nos in luce. Quid enim opus erat, ut eis Dominus præciperet

peret per ipſum diem feſtum ovem occi-dere, niſi quia ille erat de quo prophe-tatum eſt: *Sicut ovis ad immolandum du-ctus eſt?* (*Iſai.* 53.) Sanguine occiſi pe-coris Judæorum poſtes ſignati ſunt: ſan-guine Chriſti frontes noſtræ ſignantur. Et illa ſignatio, quia erat ſignificatio, di-cta eſt à domibus ſignatis exterminato-rem prohibere: ſignum Chriſti à nobis repellit exterminatorem, ſi cor noſtrum recipiat Salvatorem. Quare hoc dixi? Quia multi poſtes habent ſignatos, & in-tus non manet habitator: facilè habent in fronte ſignum Chriſti, & corde non recipiunt verbum Chriſti. Ideò dixi, Fratres, quod repeto, ſignum Chriſti à nobis repellit exterminatorem, ſi cor no-ſtrum habeat Chriſtum habitatorem. Ve-nit Dominus tamquam ad victimam, ut verum Paſcha nos haberemus, cùm ejus paſſionem tamquam ovis immolationem celebraremus, *Tract.* 50. *in Joan.*

FERIA IV.

Chriſtus ad paſſionem, ac mortem diſceſ-ſurus, ut nobis amoris ſui pignus relinqueret, inſtituit Sacra-mentum Euchariſtiæ.

SAlvator quò vehementiùs commenda-ret myſterii illius altitudinem, ulti-mum hoc voluit altiùs infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, à quibus ad paſ-

ſionem

ſionem digreſſurus erat, *Epiſt.* 54. *num.* 8. In corpore, & ſanguine ſuo voluit eſſe ſalutem noſtram. Unde autem commendavit corpus & ſanguinem ſuum? De humilitate ſua. Niſi enim eſſet humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Reſpice altitudinem ipſius: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, (*Joan.* 1.) Ecce cibus ſempiternus: ſed manducant Angeli, manducant ſupernæ Virtutes, manducant cœleſtes Spiritus, & manducantes ſaginantur, & integrum manet quod eos ſatiat & lætificat. Quis autem homo poſſet ad illum cibum? Unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo ut menſa illa lacteſceret, & ad parvulos perveniret. Unde autem fit cibus lac? Unde cibus in lac convertitur, niſi per carnem trajiciatur? Nam mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans: ſed quia minùs idoneus eſt infans, qui pane veſcatur, ipſum panem mater incarnat, & per humilitatem mammillæ & lactis ſuccum, de ipſo pane paſcit infantem. Quomodo ergo de ipſo pane pavit nos Sapientia Dei? Quia *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*. Videte ergo humilitatem: quia panem Angelorum manducavit homo, ut ſcriptum eſt: *Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo:* (*Pſalm.* 77.) ideſt, Verbum illud, quo paſcuntur Angeli ſempiternum, quod eſt æquale Patri, manducavit homo: *Quia*

cùm

cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, (*Phil.* 2.) Saginantur illo Angeli: *Sed semetipsum exinanivit*, ut manducaret panem Angelorum homo; *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit se factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*: ut jam de cruce commendaretur nobis caro & sanguis Domini novum sacrificium, *Enar.* 1. *in Psal.* 33. *num.* 6. Convertamur ad eum qui ista fecit. Ipse est panis, qui de cœlo descendit: sed panis qui reficit, & non deficit: panis qui sumi potest, consumi non potest. Ipsum panem etiam manna significabat. Unde dictum est: *Panem cœli dedit illis, panem Angelorum manducavit homo*. Quis est panis cœli, nisi Christus? Sed ut panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus est homo. Si enim hoc non factus esset, carnem ipsius non haberemus, panem Altaris non manducaremus. Festinemus ad hæreditatem, quia magnum inde pignus accepimus. Fratres mei, desideremus vitam Christi, quia tenemus pignus mortem Christi. Quomodo nobis non dabit bona sua, qui passus est mala nostra? In terris istis, in isto sæculo maligno quid abundat, nisi nasci, laborare & mori? Discutite res humanas, convincite me, si mentior: attendite omnes homines, utrùm ad aliud sint in hoc sæculo, quàm nasci, laborare & mori?

mori. Hæc sunt mercimonia regionis nostræ, ista hìc abundant. Ad tales merces Mercator ille descendit. Et quoniam omnis mercator dat & accipit; dat quod habet, & accipit quod non habet; quando aliquid comparat, dat pecuniam, & accipit quod emit: etiam Christus in ista mercatura dedit, & accepit. Sed quid accepit? Quod hìc abundat, nasci, laborare, & mori. Et quid dedit? Renasci, resurgere, & in æternum regnare. O bone mercator, eme nos. Quid dicam, eme nos, cùm gratias agere debeamus, quia emisti nos? Pretium nostrum eroga nobis, sanguinem tuum bibimus; erogas ergo nobis pretium nostrum, *Serm.* 130.

FERIA V.

Christus ante suam passionem, ut nobis præberet humilitatis exemplum, lavat discipulorum pedes.

E*T cœna facta, cùm Diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ: sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiit, & ad Deum vadit, surgit à cœna, & ponit vestimenta sua,* (*Joan.* 13.) *Et cùm accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum: & extergere linteo quo erat præcinctus.* Debemus, Dilectissimi, sensum Evangelistæ diligenter attendere. Locutu-

rus quippe de tanta Domini humilitate, priùs celsitudinem ejus voluit commendare. Ad hoc pertinet quod ait: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiit, & ad Deum vadit.* Cùm illi ergo omnia Pater dedisset in manus, ille discipulorum non manus, sed pedes lavit: & cum se sciret à Deo exiisse, & ad Deum pergere, non Dei Domini, sed hominis servi implevit officium. Ad hoc autem pertinet, quod etiam de traditore ipsius, qui jam talis venerat, qui nec ab illo ignorabatur, præloqui voluit: ut hoc quoque ad maximum cumulum humilitatis accederet, quò etiam illi non dedignatus est pedes lavare, cujus manus jam prævidebat in scelere. Quid autem mirum si surrexit à cœna, & posuit vestimenta sua, qui cùm in forma Dei esset, semetipsum exinanivit? Et quid mirum si præcinxit se linteo, qui formam servi accipiens habitu inventus est ut homo? Quid mirum si misit aquam in pelvim unde lavaret pedes discipulorum, qui in terram sanguinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum? Quid mirum, si linteo quo erat præcinctus, pedes quos laverat, tersit, qui carne qua erat indutus, Evangelistarum vestigia confirmavit? Et linteo quidem, ut se præcingeret, posuit vestimenta quæ habebat: ut autem formam servi acciperet, quando semetipsum exinanivit, non quod habebat deposuit, sed quod non habebat accepit.

Cru-

Crucifigendus sanè suis exspoliatus est vestimentis, & mortuus involutus est linteis: & tota illa ejus passio, nostra purgatio est. Passurus igitur exitia, præmisit obsequia: non solùm eis pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi qui eum fuerat traditurus ad mortem. Tanta est quippe humanæ humilitatis utilitas, ut eam suo commendaret exemplo etiam divina sublimitas: quia homo superbus in æternum periret, nisi illum Deus humilis inveniret: *Venit enim filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat*, (*Luc.* 19) Perierat autem superbiam deceptoris secutus, ergo humilitatem Redemptoris sequatur inventus, *Tract.* 55. *in Joan.* Didicimus, Fratres, humilitatem ab excelso: faciamus invicem humiles, quod humiliter fecit excelsus. Magna est hæc commendatio humilitatis: & faciunt sibi hoc invicem fratres, etiam opere ipso visibili, cùm se invicem hospitio recipiunt: est enim apud plerosque consuetudo hujus humilitatis, usque ad factum quo cernatur expressa. Unde Apostolus cùm viduam bene meritam commendaret: *Si hospitio*, inquit, *recepit*, *si Sanctorum pedes lavit*, (1. *Tim.* 5.) Et apud Sanctos ubicumque hæc consuetudo non est, quod manu non faciunt, corde faciunt, si in illorum numero sunt quibus dicitur in hymno beatorum trium virorum: *Benedicite Sancti & humiles corde Domino*, (*Dan.* 3.) Multò autem est melius, & sine controversia verius,

rius, ut etiam manibus fiat; nec dedignetur quod fecit Christus, facere Christianus. Cùm enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipso vel excitatur, vel si jam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus, *Tractat.* 58. *in Joan.*

FERIA VI.

Judas discedit à cœna ad Christum Judæis tradendum.

SCio, Charissimi, moveri posse nonnullos, sive pios ut requirant, sive impios, ut reprehendant, quòd; posteà quàm panem tinctum traditori suo Dominus dedis, intraverit in illum Satanas. Sic enim scriptum est: *Et cùm tinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ: & post panem tunc introivit in illum Satanas*, (*Joa.* 13.) Dicunt enim, Itane hoc meruit panis Christi porrectus de mensa Christi, ut post illum intraret in ejus discipulum Satanas? Quibus respondemus, hinc nos potiùs doceri, quàm sit cavendum malè accipere bonum. Multùm quippe interest, non quid accipiat, sed quis accipiat: nec quale sit quod datur, sed qualis sit ipse cui datur. Nam & bona obsunt, & mala prosunt, sicut fuerint quibus dantur: *Peccatum*, inquit Apostolus, *ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem*, (*Rom.* 7.) Ecce per bonum factum est malum, dum ma-

lè accipitur bonum. Itemque ipſe ait: *in magnitudine revelationum mearum ne extollar, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Satanæ qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogavi, ut auferret eum à me, & dixit mihi, ſufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*, (2. *Cor.* 12.) Ecce per malum factum eſt bonum, dum bene accipitur malum. Quid ergo miraris ſi datus eſt Judæ panis Chriſti, per quem manciparetur Diabolo: cùm videas è contrario datum Paulo angelum Diaboli, per quem perficeretur in Chriſto? Ita & malo bonum obfuit, & malum bono profuit. Recordamini unde ſit ſcriptum: *Quicumque manducaverit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini*, (1. *Corinth.* 11.) Et de his erat ſermo, cùm hoc Apoſtolus diceret, qui Domini corpus velut alium cibum quemlibet indiſcretè negligenterque ſumebant. Hìc ergo ſi corripitur qui non dijudicat, hoc eſt, non diſcernit à cæteris cibis dominicum corpus; quomodo non damnatur, qui ad ejus menſam fingens amicum, accedit inimicus? Si reprehenſione tangitur negligentia convivantis, quà pœna percutitur venditor invitantis? Quid erat autem panis traditori datus, niſi demonſtratio cui gratiæ fuiſſet ingratus? Intravit ergo poſt hunc panem Satanas in Domini traditorem, ut ſibi jam traditum pleniùs poſſideret, in quem priùs intra-

verat

verat ut deciperet. Neque enim non in illo erat, quando perrexit ad Judæos, & de pretio tradendi Domini pactus est, cùm hæc apertissimè Lucas Evangelista testetur & dicat: *Intravit autem Satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim; & abiit, & locutus est cum Principibus Sacerdotum*, (*Luc.* 22.) Ecce ubi ostenditur, quòd jam intraverat Satanas in Judam. Priùs ergo intraverat, immittendo in cor ejus cogitationem qua traderet Christum: talis enim jam venerat ad cœnandum. Nunc autem post panem intravit in eum, non ut adhuc alienum tentaret, sed ut proprium possideret. Adhuc tamen Juda possesso, non à Domino, sed à Diabolo, cùm homini ingrato intrasset panis in ventrem, & hostis in mentem, adhuc, inquam, tanti mali jam corde concepti plenus restabat effectus, cujus jam præcesserat damnandus affectus. Itaque cùm Dominus panis vivus panem mortuo tradidisset, & panem tradendo panis traditorem ostendisset: *Quod facis*, inquit, *fac citiùs*. Non præcepit facinus, sed prædixit Judæ malum nobis bonum. Quid enim Judæ pejus, & quid nobis melius quàm traditus Christus, ab illo adversùs illum, pro nobis præter illum? *Quod facis fac citiùs*. O Verbum libentius parati, quàm irati! O Verbum non tam pœnam exprimens proditoris, quàm mercedem significans Redemptoris! Dixit enim:

Quod facis fac citiùs, non tam in perniciem perfidi sæviendo, quàm ad salutem fidelium festinando: quia traditus est propter delicta nostra, (*Rom.* 4.) & dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, (*Eph.* 5.) Unde & de seipso dicit Apostolus: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*, (*Galat.* 2.) Nisi ergo se traderet Christus, nemo traderet Christum. Quid habet Judas, nisi peccatum? Neque enim in tradendo Christo salutem nostram cogitavit, propter quam traditus est Christus, sed cogitavit pecuniæ lucrum, & invenit animæ detrimentum. Accepit mercedem quam voluit, sed nolenti est data quam meruit. Tradidit Judas Christum, tradidit Christus seipsum: ille agebat negotium suæ venditionis, iste nostræ redemptionis: *Quod facis, fac citiùs*; non quia tu potes, sed quia hoc vult qui totum potest, *Tractat.* 62. *in Joan.*

SABBATO.

Christus instante passione turbari voluit, ut nos confirmaret & consolaretur.

POstquam Dominus Jesus Christus ministros, ut seipsum sequerentur hortatus est, (*Joan.* 12.) cùm ita prædixisset passionem suam, quòd nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, solum manet; si autem mortuum fuerit, mul-

multum fructum affert: ubi excitavit eos, qui eum ad regnum cœlorum ſequi vellent, ut animam ſuam odiſſent in hoc mundo, ſi eam in vitam æternam cuſtodire cogitarent: ad noſtram rurſus infirmitatem ſuum temperavit affectum, & ait: *Nunc anima mea turbata eſt.* Unde turbata eſt, Domine, anima tua? Nempe paulò ante dixiſti: *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Ergo anima tua in hoc mundo amatur, ideò turbatur veniente hora, qua ex hoc mundo egrediatur? Quis hoc de anima Domini audeat affirmare? Sed nos in ſe tranſtulit, nos in ſe ſuſcepit caput noſtrum, membrorum ſuorum ſuſcepit affectum: & ideò non eſt ab aliquo turbatum; ſed ſicut de illo dictum eſt, cùm Lazarum ſuſcitaret, turbavit ſemetipſum, (*Joan.* 11.) Oportebat enim, ut unus Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, ſicut nos excitavit ad ſumma, ita nobiſcum pateretur & infima. Audio ſuperiùs dicentem: *Venit hora ut glorificetur filius hominis: ſi mortificatum fuerit granum, multum fructum affert,* (*Joan.* 12.) Audio: *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Nec permittor tantummodo mirari, ſed jubeor imitari. Deinde ſequentibus verbis: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & ubi ſum ego, ibi & miniſter meus erit:* mundum contemnere accendor, & in conſpectu meo nihil eſt vitæ hujus totus, quan-

tumlibet fuerit prolixus, vapor: præ amore æternorum temporalia mihi cuncta vilescunt: & rursùs ipsum Dominum meum, qui me illis verbis ab infirmitate mea rapuit ad firmitatem suam, audio dicentem: *Nunc anima mea turbata est*. Quid est hoc? Quomodo sequi jubes animam meam, si turbari video animam tuam? Quomodo sufferam quod grave tanta firmitas sentit? Quale fundamentum quæram, si petra succumbit? Sed videor mihi audire in cogitatione mea respondentem mihi Dominum, & quodammodo dicentem: Magis sequeris, quia sic me interpono ut sufferas: audisti ad te vocem fortitudinis meæ, audi in me vocem infirmitatis tuæ: vires suggero ut curras, nec reprimo quod acceleras; sed transfero in me quod trepidas, & substerno quà transeas. O Domine Mediator, Deus supra nos, homo propter nos, agnosco misericordiam tuam: nam quòd tu tantus tuæ charitatis voluntate turbaris, multos in corpore tuo, qui suæ infirmitatis necessitate turbantur, ne desperando pereant, consolaris. Denique homo qui sequi vult, audiat quà sequatur. Accessit fortè hora terribilis, proponitur optio, aut faciendæ iniquitatis, aut subeundæ passionis: turbatur anima infirma, propter quam sponte turbata est anima invicta: præpone tuæ voluntati voluntatem Dei[illegible]. Attende enim quid deinde subjungat creator tuus & magister tuus, qui te fecit, & ut te doce-

ret,

ret, factus est & ipse quod fecit: homo enim factus est qui hominem fecit; sed Deus incommutabilis mansit, & hominem in melius commutavit. Audi ergo quid inde subjungat, cùm dixisset: *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam*, inquit, *Pater salvifica me ex hac hora, sed propterea veni in hanc horam: Pater clarifica nomen tuum.* Docuit te quid cogites, docuit quid dicas, quem invoces, in quo speres, cujus voluntatem certam atque divinam tuæ voluntati humanæ infirmæque præponas. Non ideò tibi videatur ex alto deficere, quia te vult ab imò proficere. Nam & tentari dignatus est à Diabolo, à quo utique si nollet, non tentaretur, quemadmodum si nollet, non pateretur: & ea respondit Diabolo, quæ tu in tentationibus debeas respondere. Et ille quidem tentatus est, sed non periclitatus: ut doceret te in tentatione periclitantem tentatori respondere, & post tentatorem non ire, sed de periculo tentationis exire. Sicut autem hic dixit: *Nunc anima mea turbata est*, ita etiam ubi dicit: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, &, *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste*, (*Matth. 26.*) Hominis suscepit infirmitatem, ut doceat sic contristatum & conturbatum quod sequitur dicere: *Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis Pater.* Sic enim homo ab humanis in divina dirigitur, cùm voluntati humanæ voluntas divina præponitur, *Tractat. 52. in Joan.*

Dominica IV. Quadragesimæ.

Christus appropinquante passione tristari voluit ut nos lætificaret, & doceret sequi voluntatem Dei.

NUmquid possumus pavorem bene intelligere in Christo propinquante passione, qui propter eam venerat; cùm venisset ad quod venerat, numquid pavebat moriturus? Si prorsus ita homo esset, ut Deus non esset, magis gauderet resurrecturus, quàm paveret moriturus? Verumtamen quia dignatus est assumere formam servi, & in ea nos vestire se; qui non est dedignatus assumere nos in se, non est dedignatus transfigurare nos in se, & loqui verbis nostris, ut & nos loqueremur verbis ipsius. Hæc enim mira commutatio facta est, & divina sunt peracta commercia, mutatio rerum celebrata in hoc mundo à negotiatore cœlesti. Venit accipere contumelias, dare honores; venit haurire dolorem, dare salutem; venit subire mortem, dare vitam. Moriturus ergo ex eo quod nostrum habebat, non in se, sed in nobis pavebat: quia & hoc dixit, tristem esse animam suam usque ad mortem, & utique nos ipsi omnes cum illo, (*Matth.* 26.) Nam sine illo, nos nihil: in illo autem ipse Christus, & nos. Quare? Quia totus Christus caput & corpus, *Enar.* 2. *in Psalm.* 30. *num.* 3. Ipse Unicus

por-

portans infirmitatem tuam & præfigurans in ſe perſonam tuam, tamquam caput geſtans perſonam corporis ſui, cùm appropinquaret paſſioni, ex homine quem gerebat, contriſtatus eſt, ut te lætificaret; contriſtatus eſt, ut te conſolaretur. Potuit enim utique ſine triſtitia eſſe Dominus, iturus ad paſſionem. Si potuit miles, non potuit imperator? Quomodo potuit miles? Attende Paulum exultantem propinquantem paſſioni: *Ego autem*, inquit, *jam immolor*, *& tempus reſolutionis meæ inſtat*, (2. *Timoth.* 4.) *Bonum certamen certavi*, *curſum conſummavi*, *fidem ſervavi: de cætero ſupereſt mihi corona juſtitiæ*, *quam mihi Dominus reddet in illa die juſtus judex*. Videte quemadmodum exultat venturus ad paſſionem. Ergo gaudet coronandus, contriſtatur coronaturus. Quid igitur portabat? Infirmitatem quorumdam, qui veniente tribulatione, vel morte contriſtantur. Sed vide, quomodo eos ducit in directionem cordis. Ecce tu volebas vivere, non volebas tibi aliquid accidere; ſed Deus aliud voluit: duæ voluntates ſunt, ſed voluntas tua corrigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei detorqueatur ad tuam. Prava eſt enim tua, regula eſt illa: ſtet regula, ut quod pravum eſt, ad regulam corrigatur. Videte quomodo hoc docet Dominus Jeſus Chriſtus: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*, (*Matth.* 26.) Et, *Pater ſi fieri poteſt*, *tranſeat à me calix*

 iſte.

iste. Ecce ostendit humanam voluntatem: Sed vide rectum cor: *Verùm non quod ego volo, sed quod tu vis Pater*. Hoc ergo fac, gaudens in his quæ tibi accidunt: & si venerit dies ille ultimus, gaude. Aut si subrepit humanæ cujusdam voluntatis fragilitas, citò dirigatur in Deum, *Enar. 2. in Psal.* 31. *num.* 26. Patere quidquid pateris recto corde: novit Deus quid tibi donet, quid tibi subtrahat. Quod tibi donat, ad consolationem valeat, non ad corruptionem: & quod tibi subtrahit, ad tolerantiam valeat, non ad blasphemiam. Si autem blasphemas, & displicet tibi Deus, & tu tibi places; perverso corde & distorto es: & hoc pejus, quia cor Dei vis corrigere ad cor tuum, ut hoc ille faciat quod tu vis, cùm tu debeas facere quod ille vult. Quid ergo? Vis detorquere cor Dei quod semper rectum est, ad pravitatem cordis tui? Quantò meliùs ad rectitudinem Dei corrigis cor tuum? Nonne hoc te docuit Dominus tuus, de cujus passione modò loquebamur? Nonne infirmitatem tuam portabat, quando dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem*? Nonne teipsum in se figurabat, cùm dicebat: *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste*? Non enim duo corda & diversa Patris & Filii: sed in forma servi portavit cor tuum, ut doceret illud exemplo suo, Jam ecce quasi aliud cor tuum invenit tribulatio, volens transire quod imminebat: sed noluit Deus. Non consentit Deus cordi tuo, consenti tu cordi

Dei.

Dei. Audi vocem ipsius: *Verùm non quod ego volo, sed quod tu vis Pater*, Enarrat. in Psalm. 63. num. 18.

FERIA II.

Calicem passionis prompta voluntate acceptat Christus, ne illum recuset Christianus.

C*Alicem salutaris accipiam*, (*Ps.* 115.) Quis est calix iste? Calix passionis amarus & salubris: calix quem nisi priùs biberet medicus, tangere timeret ægrotus. Ipse est calix iste: agnoscimus in ore Christi calicem istum dicentis: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste*, (*Matt.* 26) *Serm.* 329. Ipse tibi Salvator tuus, quamvis in carne Deus, quamvis cum carne Deus, humanum tamen demonstravit affectum, ubi ait: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*. Noverat quòd calix iste transire non poterat, ad eum bibendum venerat. Voluntate, non necessitate, bibendus ille calix. Omnipotens erat: si vellet, utique transiret, quia Deus cum Patre, & Ipse & Deus Pater unus Deus. Sed ex forma servi, ex eo quod suscepit abs te pro te, vocem hominis, vocem carnis emisit. Te in se dignatus est transfigurare, ut de illo loquereris infirma, ut in illo apprehenderes fortia. Voluntatem ostendit, qua tentari posses: & continuò docuit quam voluntatem, cui voluntati præferre deberes: *Pater*, inquit, *si fieri potest, transeat à me*

calix iste. Hæc voluntas humana est, hominem gero, ex forma servi loquor: *Pater, si fieri potest, transeat hic calix*. Vox carnis est, non spiritus; vox infirmitatis, non divinitatis: *Si fieri potest, transeat calix iste*. Illa est voluntas, de qua & Petro dicitur: *Cùm autem senueris, alter te cinget, & tollet, & feret quò tu non vis*, (*Joan*. 21.) *Sermon*. 344. Sed si compassus est tibi, & te liberat in se; imitare quod sequitur, dicens: *Verùm non quod ego volo, sed quod tu vis Pater*, *Enar. in Psalm*. 93. *num*. 19. Fratres mei, si noluimus obtemperare medico, ut non ægrotaremus; obtemperemus, ut ab ægritudine liberemur. Dedit nobis præcepta medicus, sanis: dedit præcepta medicus, ne medico indigeremus: *Non est opus*, inquit, *sanis medicus, sed ægrotantibus*, (*Matt*. 9.) Sani præcepta contempsimus, & experimento sensimus, in quantam perniciem nostram præceptum illius contempserimus. Ægrotare jam cœpimus, laboramus, in lecto infirmitatis sumus: sed non desperemus. Quia enim ad medicum venire non poteramus, ipsè ad nos venire dignatus est. Non contempsit saucium contemptus à sano. Non destitit dare alia præcepta languenti, qui prima custodire noluit, ne langueret: tamquam diceret, Certè experimento sensisti verum me dixisse, quando dixi, Noli tangere hoc. Sanare ergo tandem, & reviviſce. Ecce porto infirmitatem tuam: bibe amarum calicem. Tu

enim

enim tibi feciſti præcepta illa mea, quæ ſano data ſunt tam dulcia, tam laborioſa. Contempta ſunt, cœpiſti laborare: ſanari non potes, niſi amarum calicem biberis, calicem tentationum, quibus abundat hæc vita, calicem tribulationum, anguſtiarum, paſſionum. Bibe, inquit, bibe, ut vivas. Et ne reſponderet ei languidus, Non poſſum, non fero, non bibo: prior bibit medicus ſanus, ut bibere non dubitaret ægrotus. Quid enim amarum eſt in tali poculo, quod ille non biberit? Si contumelia: prior audivit, cùm Dæmones expelleret, Dæmonium habet, & quòd in Beelzebub ejicit Dæmonia. Unde ut ipſe conſolaretur ægros, ait, (*Luc.* 7.) Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domeſticos ejus? (*Matt.* 10) Si dolores amari ſunt: ligatus & flagellatus & crucifixus eſt. Si mors amara eſt: etiam mortuus eſt. Si genus mortis exhorreſcit infirmitas: nihil illo tempore fuit ignominioſius quàm mors crucis. Non enim fruſtrà commendans ejus obedientiam Apoſtolus addidit, dicens: *Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis*, (*Phil.* 2.) *Serm.* 88.

FERIA III.

Chriſtus à Juda oſculo traditur.

CUm *Diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iſcariota*, (*Joan.* 13.) Si quæris quid miſſum ſit in

cor Judæ, hoc utique, *ut traderet eum.* Missio ista, spiritualis suggestio est: non fit per aurem, sed per cogitationem; ac per hoc non corporaliter, sed spiritaliter. Factum ergo jam fuerat in corde Judæ per immissionem diabolicam, ut traderet discipulus magistrum, sed quem non didicerat Deum. Jam talis venerat ad convivium, explorator pastoris, insidiator Salvatoris, venditor redemptoris; jam talis venerat, & videbatur, & tolerabatur, & se ignorari arbitrabatur: quia in eo quem volebat fallere, fallebatur. At ille isto in ipso corde intus inspecto, nesciente scienter utebatur: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Ergo & ipsum traditorem. Nam si eum in manibus non haberet, non utique illo uteretur ut vellet. Proinde jam traditor traditus erat ei quem tradere cupiebat, atque ita malum tradendo faciebat, ut de illo tradito bonum fieret quod nesciebat. Sciebat enim Dominus quid faceret pro amicis, qui patienter utebatur inimicis: ac si omnia dederat Pater in manus ejus, & in usum mala, & in effectum bona, *Tract. 55. in Joan. Egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, & discipuli ejus. Sciebat autem, & Judas qui tradebat eum, locum: quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis,* (*Jo.* 18.) Ibi ergo lupus ovina pelle contectus, & inter oves alto patrisfamilias

con-

consilio toleratus, didicit ubi ad tempus exiguum dispergeret gregem, insidiis appetendo pastorem. *Judas ergo*, inquit, *cùm accepisset cohortem; & à Principibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis*. Cohors non Judæorum, sed militum fuit. A Præside itaque intelligatur accepta, tamquam ad tenendum reum, servato ordine legitimæ potestatis, ut nullus tenentibus auderet obsistere: quamquam & manus tanta fuerit congregata, & sic armata veniebat, ut vel terret, vel etiam repugnaret, si quisquam Christum defendere auderet. Ita quippe ejus abscondebatur potestas, & obtendebatur infirmitas, ut hæc inimicis necessaria viderentur adversùs eum, in quem nihil valuisset nisi quod ipse voluisset: bene utens bonus malis, & faciens bona de malis, ad faciendos bonos ex malis, & discernendos bonos à malis. *Tract.* 112. *in Joan.* Venerunt ad hortum, qui jam antea perdiderant paradisum, quærentes Dominum Jesum Christum. Et Judas ait, *Quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum*. (*Matth.* 26.) O signum sacrilegum! ò placitum fugiendum, ubi ab osculo incipitur bellum, & per pacis indicium pacis rumpitur sacramentum! Proditorem osculo libenter suscepit: non quia Deus Dei Filius mortem timebat, sed quia nec malos pro se perire volebat. *Juda osculo filium hominis tradis?* (*Luc.* 22.) Fungebaris disciplina virtutis, & discipulus factus es consilii

filii iniquitatis? Officio ſanguinem fundis? pro pignore amoris vulnus infligis? pacis argumento mortem immittis? Servus dominum tradis, diſcipulus magiſtrum prodis? *Utiliora ſunt vulnera amici, quàm voluntaria oſcula inimici.* (*Prov.* 27.) *Serm.* 150. & 151. *in Append.*

FERIA IV.

Jeſus comprehenditur & ligatur.

JEſus itaque ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit, & dicit eis, Quem quæritis? Reſponderunt ei Jeſum Nazarenum. Dicit eis Jeſus, Ego ſum. Stabat autem & Judas qui tradebat eum cum ipſis: ut ergo dixit eis, Ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* (*Joan.* 18.) Ubi nunc militum cohors, & miniſtri Principum ac Phariſæorum? Ubi terror & munimem armorum? Nempe una vox dicentis, *Ego ſum*, tantam turbam odiis ferocem armiſque terribilem, ſine ullo telo percuſſit, repulit, ſtravit. Deus enim latebat in carne: & ſempiternus dies ita membris occultabatur humanis, ut laternis & facibus quæreretur occidendus à tenebris. *Ego ſum* dicit, & impios dejicit. Quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit? Et nunc ubique per Evangelium, *Ego ſum*, dicit Chriſtus: & à Judæis expectatur Antichriſtus ut retrò redeant, & in terram cadant,

quo-

quoniam deferentes cœleſtia terrena deſiderant. Certè ad comprehendendum Jeſum perſecutores cum traditore venerunt, quem quærebant invenerunt, audierunt, *Ego ſum*: quare non comprehenderunt, ſed abierunt retrò, & ceciderunt, niſi quia hoc voluit, qui potuit quidquid voluit? Verùm ſi numquam ſe ab eis permitteret apprehendi, non quidem illi facerent propter quod venerant, ſed nec ipſe faceret propter quod venerat. Eum quippe illi occidendum quærebant ſæviendo, ſed quærebat nos & ipſe moriendo. Proinde quia tenere volentibus, nec valentibus, oſtendit poteſtatem ſuam: jam teneant eum, ut faciat de neſcientibus voluntatem ſuam. *Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percuſſit ſervum Principis Sacerdotum, & abſcidit ejus auriculam dexteram. Erat autem nomen ſervo Malchus*, (*Luc.* 22.) Solus hic Evangeliſta etiam nomen hujus ſervi expreſſit: ſicut Lucas ſolus, quòd ejus auriculam Dominus tetigerit, & ſanaverit eum. Malchus autem interpretatur regnaturus. Quid ergo auris pro Domino amputata & à Domino ſanata ſignificat, niſi auditum amputata vetuſtate renovatum, ut ſit in novitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ? Quod cui præſtitum fuerit à Chriſto, quis dubitet regnaturum eſſe cum Chriſto? (*Rom.* 7.) Quòd autem ſervus inventus eſt, & hoc ad illam pertinet vetuſtatem, quæ in ſervitutem generat,

quod

quod est Agar. Sed cùm accessit sanitas, figurata est & libertas. (*Gal.* 4.) Factus tamen Petri Dominus improbavit, & progredi ultrà prohibuit dicens, *Mitte gladium in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* In suo quippe facto ille discipulus magistrum defendere voluit, non quod significandum est cogitavit. Et ille igitur ad patientiam commonendus fuit, & hoc ad intelligentiam conscribendum. Quòd autem à Patre sibi dicit datum calicem passionis, profectò illud est quod ait Apostolus, *Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* (*Rom.* 8.) Verùm auctor calicis hujus est etiam ipse qui bibit. Unde idem Apostolus item dicit, (*Eph.* 5.) Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis. *Cohors autem & tribunus & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum:* (*Joan.* 18.) Comprehenderunt ad quem non accesserunt: quoniam dies ille, illi verò tenebræ permanserunt; nec audierunt, *Accedite ad eum & illuminamini.* (*Psalm.* 33.) Si enim sic accederent, non eum manibus occidendum, sed recipiendum corde comprehenderent. Nunc autem quando eum illo modo comprehenderunt, tunc ab illo longiùs recesserunt: & ligaverunt eum à quo solvi potiùs velle debuerunt. Et erant fortassis in eis qui tunc imposuerunt Christo vincula sua, atque ab eo postea liberati dixe-

xerunt, *Dirupisti vincula mea.* (*Ps.* 115.) *Tract.* 112. *in Joan.*

FERIA V.

Jesus à ministro Pontificis alapa percutitur.

POstea quàm persecutores tradente Juda comprehensum Dominum ligaverunt, qui dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis, & cui Pater non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum; ut intelligatur Judas, non laudabilis utilitate traditionis hujus, sed sceleris voluntate damnabilis: *Adduxerunt eum*, sicut Joannes Evangelista narrat, *ad Annam primùm. Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis ejus, & de doctrina ejus. Respondit ei Jesus, Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga & in templo, quò omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil: quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis. Ecce hi sciunt, quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens, Sic respondes Pontifici? Respondit ei Jesus, si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cœdis?* (*Joan.* 18.) Quid ista responsione verius, mansuetius, justius? Ejus est enim de quo Prophetica vox præcesserat, *Intende, & prosperè procede, & regna, propter veritatem & mansuetudinem & justitiam.* (*Ps.* 44.) Si cogitemus quis acce-

perit

perit alapam, nonne vellemus eum qui percuſſit, aut cœleſti igne conſumi, aut terra dehiſcente ſorberi, aut correptum Dæmonio volutari, aut aliqua hujuſmodi qualibet pœna, vel etiam graviore puniri? Quid enim horum per potentiam jubere non potuiſſet per quem factus eſt mundus, niſi patientiam nos docere maluiſſet qua vincitur mundus? Hìc dicet aliquis, Cur non fecit quod ipſe præcepit? Percutienti enim non ſic reſpondere, ſed maxillam debuit alteram præbere. (*Matth.* 5.) Quid quod & veraciter, manſuetè, juſtèque reſpondit, & non ſolùm alteram maxillam iterum percuſſuro, ſed totum corpus præparavit figendum in ligno? Et hinc potiùs demonſtravit, quod demonſtrandum fuit, ſua ſcilicet magna illa præcepta patientiæ non oſtentatione corporis, ſed corporis præparatione facienda. Fieri enim poteſt, ut alteram maxillam viſibiliter præbeat homo, & iratus. Quantò ergo meliùs & reſpondet vera placatus, & ad perferenda graviora tranquillo animo fit paratus? Beatus eſt enim qui in omnibus quæ injuſtè pro juſtitia patitur, poteſt veraciter dicere, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*: (*Pſalm.* 56.) hinc quippe fit quod ſequitur, *Cantabo & pſallam*: quod Paulus & Barnabas etiam in vinculis duriſſimis facere potuerunt. *Tract.* 113. *in Joan.* Sunt ergo iſta præcepta patientiæ ſemper in cordis præparatione retinenda, ipſaque benevolentia, ne reddatur malum pro malo,

lo, semper in voluntate complenda est. Cavendum est, ne vindicandi cupiditate amittatur (ut nihil aliud dicam) ipsa patientia, quæ pluris est habenda, quàm omne quod potest etiam invito inimicus auferre. Paratus itaque debet esse homo justus & pius, patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, ut numerus potiùs crescat bonorum, non ut pari malitia se quoque numero addat malorum. *Epist.* 138. *n.* 12. *&* 14.

FERIA VI.

Jesus à Petro ter negatur.

D*Ixit ergo Petro ancilla ostiaria, Numquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille. Non sum.* (*Jo.* 18.) Ecce columna firmissima ad unius auræ impulsum tota contremuit. Ubi est illa promittentis audacia, & de se plurimùm præfidentis? Ubi sunt verba illa, quando ait. *Quare non possum te sequi modò? Animam meam pro te ponam.* (*Joan.* 13.) Hoccine est sequi magistrum, se negare discipulum? Siccine pro Domino anima ponitur, ut hoc ne fiat, vox ancillæ formidetur? Sed quid mirum, si Deus vera prædixit, homo autem falsa præsumpsit? *Tract.* 113. *in Joan.* Cùm Dominus Jesus sanctam dilectionem, qua se invicem diligerent, discipulis commendaret, *Dicit ei Simon Petrus, Domine quò vadis?* (*Joan.* 13.) Sic utique hoc dixit Magistro discipulus, & Domino servus

tam-

tamquam sequi paratus. Propterea quippe Dominus, qui ejus animum vidit, quare hoc interrogaverit, sic ei respondit: *Quò ego vado, non potes me modò sequi*: tamquam diceret, propter quod interrogas, non potes modò. Non ait, non potes: sed, *non potes modò*, dilationem intulit, non spem tulit: & eamdem spem quam non tulit, sed potiùs dedit, sequenti voce firmavit, addendo atque dicendo, *Sequeris autem posteà*: Quid festinas Petre? Nondum te suo spiritu solidavit petra. Noli extolli præsumendo, *non potes modò*: noli dejici desperando. *sequeris posteà*. Sed adhuc ille quid dicit? *Quare te non possum sequi modò? Animam meam pro te ponam*. Quid in animo ejus esset cupiditatis, videbat: quid virium, non videbat. Voluntatem suam jactabat infirmus, sed inspiciebat valetudinem medicus: iste promittebat, ille prænoscebat: qui nesciebat, audebat; qui præsciebat, docebat. Quantùm sibi assumpserat Petrus intuendo quid vellet, ignorando quid posset? Quantum sibi assumpserat, ut cùm venisset Dominus animam suam ponere pro amicis suis, ac per hoc & pro ipso, ille hoc Domino offerre consideret: & nondum pro se posita anima Christi, animam suam polliceretur se positurum esse pro Christo? *Respondit* ergo *Jesus*, *animam tuam pro me pones*? Itane facies pro me, quod nondum ego pro te? *Animam tuam pro me pones*? Præire potes, qui sequi non potes? Quid tantùm præsumis? quid de te sentis?

tis?

tis? quid esse te credis? Audi quid sis: *Amen amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges*, Ecce quomodo tibi citò apparebis, qui magna loqueris, & te parvulum nescis. Qui mihi promittis mortem tuam, ter negabis vitam tuam. Qui te jam putas mori posse pro me, priùs vive pro te: nam timendo mortem carnis tuæ, mortem dabis animæ tuæ. Quanta enim vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum. *Tract. 66. in Joan.* Præsumpserat ille de viribus suis, non de Dei dono, sed de libero arbitrio. Dixerat, *Tecum ero usque ad mortem*. (*Matth. 26.*) Dixerat in abundantia sua *Non movebor in æternum*. (*Psalm. 29.*) Sed qui in voluntate sua præstiterat decori ejus virtutem, avertit faciem suam & factus est conturbatus. *Avertit*, inquit, *Dominus faciem suam*: ostendit Petro Petrum; sed postea respexit, & Petrum firmavit in Petra. *Serm. 284.* Non fuit illa Petri desertio, sed eruditio. Amare quippe Dominum interrogatus in corde suo præsumpserat se pro eo etiam moriturum. Viribus suis hoc tribuerat: nisi paulisper à regente deserere, non sibi demonstraretur. *Respexit illum Dominus. At ille amarè flevit*. (*Luc. 22.*) Amara erat recordatio negationis, ut dulcis esset gratia redemptionis. Nisi desertus, non negaret; nisi respectus, non fleret. Odit Deus præsumptores de viribus suis, & tumorem istum in eis, quos diligit, tamquam me-

medicus secat. Secando quidem infert dolorem: sed firmat postea sanitatem. Itaque resurgens Dominus commendat Petro oves suas illi negatori; sed negatori, quia præsumptori; postea pastori, quia amatori. Nam quare ter interrogat amantem, nisi ut compungat ter negantem? Proinde perfecit postea Petrus gratia Dei, quod primò non potuit fiducia sui. Nam postea quàm illi oves, Non Petri, sed suas commendavit, ut non pasceret sibi, sed Domino, annuntiavit ei passionem futuram, quam primò perdiderat; quoniam præproperè festinabat. *Cùm senior*, inquit, *factus fueris, alter te cinget, & feret quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte glorificaturus erat Deum.* (*Joan.* 21.) Factum est; pervenit Petrus ad passionem, qui lacrymis diluerat negationem. Quod ei promiserat Salvator, non potuit auferre tentator. *Serm.* 285.

SABBATO.

Jesus Judæorum illusiones & opprobria patientissimè tolerat.

EGo autem velut surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. (*Psalm.* 37.) Quasi non esset quod illis diceret, quasi non esset unde illos argueret. Nonne jam antea multa increpaverat, multa dixe-

dixerat, & dixerat: Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, & multa talia? Tamen quando passus est, nihil horum dixit: (*Matth.* 23.) non quia non habebat quod diceret, sed expectabat ut complerent illi omnia, & implerentur omnes prophetiæ de illo, de quo dictum erat, *Et sicut ovis coram tondente se sine voce, non aperuit os suum.* (*Isa.* 53.) Oportebat ergo ut taceret in passione, non taciturus in judicio. Judicandus enim venerat, qui postea judicaturus veniret: & ideo cum magna potestate judicaturus, quia cum magna humilitate judicatus, *Enar. in Psalm.* 37. *n.* 20. Venerat humiliter primò & occultus; tantò occultior, quantò humilior: populi autem spernentes per superbiam suam humilitatem Dei, crucifixerunt Salvatorem suum, & fecerunt damnatorem suum. Sed qui primò venit occultus, quia venit humilis, numquid deinceps non est venturus manifestus, quia excelsus? Audistis Psalmum, *Deus manifestus veniet, Deus noster & non silebit.* (*Psalm.* 49.) Siluit ut judicaretur, non silebit cùm cœperit judicare. Non diceretur, *Manifestus veniet*, nisi primò venisset occultus; nec diceretur, *Non silebit*, nisi quia primò siluit. Quomodo siluit? Interroga Isaiam: *Sicut ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram eo qui se tonderet, fuit sine voce, sic non aperuit os suum.* (*Isa.* 53.) Veniet autem manifestus, & non silebit. Quomodo manife-

nifestus? *Ignis ante eum praibit, & in circuitu ejus tempestas valida.* Tempestas illa tollere habet totam paleam de area, quæ modò trituratur; & ignis incendere quod tempestas abstulerit. Modò autem tacet: tacet judicio, sed non tacet præcepto. Si enim tacet Christus, quid sibi volunt hæc Evangelia? quid sibi volunt voces Apostolicæ? quid cantica Psalmorum? quid eloquia Prophetarum? In his enim omnibus non tacet Christus. Sed tacet modò, ut non vindicet: non tacet, ut non moneat. Veniet autem præclarus in vindictam, & apparebit omnibus, & qui in eum non credunt. Modò verò quia & præsens occultus erat, oportebat ut contemneretur. Nisi enim contemneretur, non crucifigeretur: si non crucifigeretur, non funderet sanguinem, quo pretio nos redemit. Ut autem daret pretium pro nobis, crucifixus est; ut crucifigeretur, contemptus est; ut contemneretur, humilis apparuit. *Tract.* 4. *in Joan.* Non repulit falsos testes, nec sævientem clamorem dicentium, Crucifigatur. Rabida corda & ora furentium non potestate compressit, sed patientia toleravit. Fecerunt ei quanta voluerunt: quia factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. (*Philip.* 2.) *Serm.* 75. Ideo prior ille sustinuit, ut nos sustinere disceremus. Et si ille, qui non habebat quod illi objiciebatur; quantò magis nos, qui etsi non habemus peccatum quod nobis objicit inimi-

mi-

micus, habemus tamen alterum quod dignè in nobis flagelletur? Nescio quis te furem dicit, & non es fur: audis opprobrium; non tamen sic non es fur, ut non sis aliquid quod Deo displicet. Porrò si ille qui omnino nihil rapuerat, qui verissimè dixerat, *Ecce venit princeps mundi hujus, & in me nihil inveniet*, (*Joan.* 14.) dictus est peccator, (*Joan.* 9.) dictus est iniquus, dictus est Beelzebub, (*Matth.* 10.) dictus est insanus: tu dedignaris serve audire pro meritis tuis, quod Dominus audivit nullis meritis suis? Ille venit, ut te præberet exemplum: Quasi gratis hoc fecerit, sic tu non proficis. Quare enim ille audivit, nisi ut tu cùm audires non deficeres? Ecce tu audis, & deficis: frustra ergo ille audivit: non enim propter se, sed propter te audivit. *Quoniam propter te sustinui exprobrationem, operuit irreverentia faciem meam.* *Enar. in Psalm. 68. Serm. 1. n. 12.*

DOMINICA PASSIONIS.

Jesus ad Pilatum ducitur, & apud illum accusatur.

A*Dducunt ergo Jesum ad Caipham in prætorium. Erat autem manè, & ipsi non introierunt in prætorium.* (*Joan.* 18.) Cur autem non introierunt in prætorium? exponens causam, *Ut non contaminarentur*, inquit, *sed ut manducarent Pascha.* Dies enim agere cœperant azymorum: quibus

diebus contaminatio illis erat in alienigenæ habitaculum intrare. O impia cœcitas! Habitaculo videlicet contaminarentur alieno, & non contaminarentur scelere proprio? Alienigenæ judicis prætorio contaminari timebant, & fratris innocentis sanguine non timebant? ut hoc solùm interim dicam, ubi rea malorum conscientia tenebatur. Nam quòd etiam Dominus erat, qui eorum impietate ducebatur ad mortem, & vitæ dator occidebatur; non eorum conscientiæ, sed ignorantiæ deputetur. *Exivit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit, Quam accusationem affertis adversùs hominem hunc? Responderunt, & dixerunt ei, si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Interrogentur atque respondeant ab immundis spiritibus liberati, languidi sanati, leprosi mundati, surdi audientes, muti loquentes, cœci videntes, mortui resurgentes, & quod omnia superat, stulti sapientes, utrùm sit malefactor Jesus? Sed ista dicebant, de quibus per Prophetam jam ipse prædixerat, Retribuebant mihi mala pro bonis. *Dixit ergo eis Pilatus, Accipite eum vos, & secundùm Legem vestram judicate eum.* (*Psalm.* 34.) *Dixerunt ergo ei Judæi, Nobis non licet interficere quemquam.* (*Jo.* 18.) Quid est quod loquitur insana crudelitas? An non interficiebant, quem interficiendum offerebant? An fortè crux non interficit? Sic desipiunt, qui non sectantur sed insectantur sapientiam. Quid est au-

tem, *Nobis non licet interficere quemquam*. Si malefactor est, cur non licet? (*Deut.* 13.) Nonne Lex eis præcepit, ne malefactoribus, præsertim (qualem istum putabant) à suo Deo seductoribus parcant. Sed intelligendum est eos dixisse, non sibi licere interficere quemquam, propter diei festi sanctitatem, quem celebrare jam cœperant: propter quem de ingressu etiam prætorii contaminari metuebant. Itane obduruistis falsi Israelitæ? Itane omnem sensum nimia malitia perdidistis, ut ideo vos à sanguine innocentis impollutos esse credatis, quia eum fundendum alteri tradidistis? Numquid & Pilatus illum, qui potestati ejus à vobis ingeritur occidendus, suis est manibus occisurus? Si non eum voluistis occidi, si non insidiati estis, si non vobis tradendum pecunia comparastis, si non comprehendistis, vinxistis, adduxistis, si non occidendum manibus obtulistis, vocibus poposcistis, non eum à vobis interfectum esse jactate. Si autem illis omnibus vestris præcedentibus factis, etiam Crucifige, crucifige clamastis; audite quod contra vos etiam Propheta clamat, *Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum machæra acuta*. (*Psalm.* 56.) Ecce quibus armis, quibus sagittis, qua machæra justum interfecistis, quando vobis interficere quemquam non licere dixistis. *Tract.* 114. *in Joan. Iterum exivit ad Judæos, & dixit eis, Ego nullam inve-*

nio in eo causam. Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum? Clamaverunt rursum omnes dicentes, Non hunc sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro. Non reprehendimus, ò Judæi, quòd per Pascha liberatis nocentem, sed quòd occiditis innocentem: quod tamen nisi fieret, verum Pascha non fieret. Sed umbra veritatis à Judæis errantibus tenebatur, & mirabili dispensatione divinæ sapientiæ per homines fallaces ejusdem umbræ veritas implebatur: quia ut verum Pascha fieret, Christus velut ovis immolabatur. *Tract. 115. in Joan.*

FERIA II.

Judæi occiderunt Christum lingua, quando clamaverunt Crucifige.

QUidam Evangelista dicit hora sexta crucifixum Dominum, & quidam hora tertia: nisi intelligamus, perturbamur. (*Joan.* 19.) Et jam incipiente sexta hora dicitur Pilatus sedisse pro tribunali: & revera quando levatus est Dominus in ligno, hora sexta erat. (*Mar.* 15.) Sed alius Evangelista intuens animum Judæorum, quia volebant se immunes videri à morte Domini, narrando eos ostendit reos, dicens Dominum hora tertia crucifixum. Considerantes autem omnem circumstantiam lectionis, quanta agi potuerint, cùm apud Pilatum Dominus accusaretur, ut cru-

crucifigeretur; invenimus horam tertiam esse potuisse, quando illi clamaverunt, Crucifige, crucifige. Ergo veriùs illi tunc occiderunt, quando clamaverunt. Apparitores potestatis hora sexta crucifixerunt, prævaricatores legis hora tertia clamaverunt: quod illi manibus hora sexta, hoc illi lingua hora tertia. Rei magis isti qui clamando sæviebant, quàm illi qui obtemperando administrabant. Ipsum est totum acumen Judæorum, hoc est quod pro magno quæsierunt: Occidamus, & non occidamus; sic occidamus, ut non ipsi occidisse judicemur. *Enar. in Psalm.* 63. *num.* 5. Nam propterea eum, sicut loquitur Evangelium, judici tradiderunt, ne ipsi eum occidisse viderentur. Cùm enim dixisset eis judex tunc Pilatus, *Accipite eum vos, & secundùm Legem vestram judicate eum*; (*Joan.* 18.) responderunt, *Nobis non licet interficere quemquam*. Interficere non licet, tradere interficiendum licet? Quis autem occidit? qui audito clamore cessit, an qui clamando ut occideretur extorsit? Ipse Dominus dicat testimonium à quibus occisus est, utrùm ab illo Pilato, qui nolens eum occidit: unde etiam eum flagellavit, & veste ignominiosa induit, (*Joan.* 19.) & flagellatum ad eorum oculos produxit, ut saltem pœna flagellorum ejus satiati, eum occidi non extorquerent. Propterea etiam cùm videret eos perseverare, sicut legimus, lavit manus suas, & dixit, *Innocens ego sum à sanguine justi hu-*

jus. (*Matth.* 27.) Videris utrum ille innocens, qui vel cessit clamantibus: multò magis tamen illi nocentes, qui clamando eum occidere voluerunt. Sed nos interrogemus & audiamus Dominum, quibus tribuat mortem suam, quia dixit, *Dormivi turbatus*. (*Ps.* 56.) Interrogemus eum, & dicamus, Quoniam dormisti turbatus, qui te persecuti sunt? qui te occiderunt? numquid fortè Pilatus, qui militibus dedit in ligno suspendendum, clavis transfigendum? Audite qui: *Filii hominum*. Illos utique dicit, quos persecutores passus est. Sed quomodo ipsi occiderunt, qui ferrum non ferebant? Qui gladium non strinxerunt, qui impetum in eum non fecerunt ad occidendum, unde occiderunt? *Dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus*. Noli attendere inermes manus, sed os armatum: inde gladius processit, quo Christus occideretur; quomodo & de ore Christi, unde & Judæi occiderentur. Habet enim ille gladium bis acutum: & resurgens percussit eos, & divisit ab eis quos faceret fideles suos. (*Apoc.* 1.) Illi malum gladium, ille bonum: illi sagittas malas, ille bonas. Nam habet & ipse sagittas bonas, verba bona, unde sagittat cor fidele, ut ametur. Ergo aliæ istorum sagittæ, & alius istorum gladius. *Filii hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum machæra acuta*. Lingua filiorum hominum machæra acuta, & dentes eorum arma & sagittæ. Quando ergo percus-

cusserunt, nisi quando clamaverunt, Crucifige, crucifige? *Enar. in Psalm. 56. num. 12.*

FERIA III.

Jesus flagellatur.

CUm Judæi clamassent, non Jesum sibi à Pilato dimitti velle per Pascha, sed Barabbam latronem; non salvatorem, sed interfectorem; non datorem vitæ, sed ademptorem: *Tunc apprehendit Pilatus Jesum & flagellavit.* (*Joan.* 19.) Hoc Pilatus non ob aliud fecisse credendus est, nisi ut ejus injuriis Judæi satiati sufficere sibi existimarent, & usque ad ejus mortem sævire desisterent. Ad hoc pertinet quod idem Præses cohortem suam etiam permisit facere quæ sequuntur; aut fortassis & jussit, quamvis hoc Evangelista tacuerit. Dixit enim quid deinde fecerint milites. Pilatum tamen id jussisse non dixit. *Et milites*, inquit, *plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus, & veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum & dicebant, Ave Rex Judæorum. Et dabant ei alapas.* (*Ibid.*) Sic implebantur quæ de se prædixerat Christus: sic Martyres informabantur ad omnia quæ persecutores libuisset facere, perferenda: sic paulisper occultata tremenda potentia, commendabatur priùs imitanda patientia, sic regnum quod de hoc mundo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed pa-

tiendi humilitate vincebat: ſic illud granum multiplicandum ſeminabatur horribili contumelia, ut mirabili pullularet in gloria. *Tract. 116. in Joan.* Attende ad paſſiones Chriſti: attende ad illum ſine ullo peccato, quæ non rapuit, exſolventem: attende Scripturam dicentem tibi, *Flagellat autem omnem filium quem recipit.* (*Heb.* 12.) Et para te flagellari, aut certè non quæras recipi. *Flagellat autem*, inquit, *omnem filium quem recipit.* Et tu fortè exceptus eris? Si exceptus à paſſione flagellorum, exceptus à numero filiorum. Itane, inquies, flagellat omnem filium? Prorſus ita flagellat omnem filium, ut & Unicum. Unicus ille de Patris ſubſtantia natus, æqualis Patri in forma Dei, Verbum per quem facta ſunt omnia, non habebat unde flagellaretur: ad hoc carne indutus eſt, ut ſine flagello non eſſet. Qui ergo flagellat Unicum ſine peccato, numquid relinquit adoptivum cum peccato? Exemplum nobis propoſuit in paſſionibus ſuis. *Serm.* 46. Labor piorum exercitatio eſt, non damnatio. Niſi fortè horremus cùm videmus indigna & gravia in hac terra perpeti aliquem juſtum, & obliviſcimur quæ pertulerit Juſtus juſtorum Sanctuſque ſanctorum. *Rex regum & Dominus dominantium*, (*Apoc.* 19.) comprehenſus, vinctus, flagellatus, contumeliis omnibus agitatus, ligno ſuſpenſus & fixus, occiſus. Appende cum Chriſto totam terram, appende cum Chriſto cœlum & terram: nihil

hil creatum cum Creatore pensatur: nullum opus artifici comparatur. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil:* (*Jo.* 1.) & tamen à persequentibus deputatus est nihil: Feramus ergo quod nos Deus ferre voluerit; qui nobis curandis atque sanandis, quis etiam dolor sit utilis, sicut medicus novit. Certè scriptum est, *Patientia opus perfectum habet* (*Jac.* 1.) Quod autem erit opus patientiæ, si nihil adversi patiamur? Cur ergo mala temporalia perpeti recusamus? an fortè perfici formidamus? Sed planè oremus & ingemiscamus & ploremus ad Dominum, ut servetur erga nos quod Apostolus dicit, *Fidelis Deus, qui non vos sinet tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut sustinere possitis.* (1. *Cor.* 10.) *Serm. de Urbis Excidio.* c. 8.

FERIA IV.

Jesus corona spinea, seu potius peccatorum nostrorum spinis, coronatur.

ANima quæ accedis ad Christum, terra es spinosa & arida. Unde probamus, quia talis es? Recole illam sententiam, quam in primis parentibus accepisti, & invenies quid inde traxisti, *Spinas, inquit, & tribulos pariet tibi.* (*Gen.* 3.) An respondebis, non te esse terram spinosam? Si spinas non haberes, capiti Creatoris tui coronam spineam non imponeres. Spinarum multitudine, id est peccatorum,

prægravata es. *Serm. de feria quarta, sive de cult. Agri Dom. cap.* 2. Corona spinea capiti ejus imponitur: quia punctio peccatorum nostrorum, quorum remissione Redemptoris gloria struitur, aridis tribulis comparatur. Studeamus nunc è diverso, ut membrorum vita capitis sit corona. *Serm.* 153. *in Append.* Ad salutem nostram & vitæ hujus transigendæ utilitatem, in his quæ passus est ab inimicis Dominus noster exemplum patientiæ nobis præbere dignatus est; ut pro Evangelica dignitate si hoc ipse voluerit, nihil tale perpeti recusemus. *Serm.* 218. *Sustine Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* (*Psalm.* 26.) Quid est hoc, *sustine Dominum*? Ad tempus laboras, in æternum non laborabis: brevis est molestia tua, æterna erit beatitudo tua: ad modicum doles, sine fine gaudebis. Sed inter molestias incipis labi? Proponitur exemplum passionum Christi. Vide quid pro te pertulit, qui quare perferret non habebat. Quantacumque patiaris, non pervenies ad illas insultationes, ad illa flagella, ad illam ignominiosam vestem, ad illam spineam coronam, ad illam postremò crucem non pervenies, quia jam & de pœna generis humani sublata est. Cùm enim sub antiquis scelerati crucifigerentur, modò nullus crucifigitur. Honorata est, & finita. Finita est in pœna, manet in gloria. A locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum. Qui tantum honorem dedit pœnis

suis,

suis, quid servat fidelibus suis? His ergo rebus, hoc tali exemplo *confirmat justos Dominus*. (*Ps.* 36.) Sæviant quantum voluerint, & quantum permissi fuerint peccatores: *confirmat justos Dominus*. Quidquid acciderit justo, voluntati divinæ deputet, non potestati inimici. Sævire ille potest: ferire si ille noluerit, non potest. Et si ille voluerit ut feriat, novit suum quemadmodum excipiat. *Quem enim diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit*. (*Heb.* 12.) Quid sibi ergo plaudit iniquus, quia flagellum sibi de illo fecit Pater meus? Illum assumit ad ministerium, me erudit ad patrimonium. Nec debemus attendere, quantum permittat injustis, sed quantum servet justis. Sed debemus optare etiam illis, per quos flagellamur, ut convertantur, & flagellentur. Sic enim suos fideles erudiebat, qui de Saulo flagellum sibi fecerat sed postea convertit & Saulum. *Enar. in Psal.* 36. *Serm.* 2. *n.* 4. & 5.

FERIA V.

Pilatus Jesum ostendit Judæis, & dicit, Ecce Homo.

E*Xiit iterum Pilatus foras, & dicit eis, Ecce adduco eum foras, ut cognoscatis, quia in eo nullam causam invenio. Exiit ergo Jesus portans spineam coronam, & purpureum vestimentum. Et dicit eis, Ecce Homo*. (*Jo.* 19.) Hinc apparet non ignorante Pilato hæc à militibus facta, sive jusserit ea, sive permiserit,

ſerit, illa ſcilicet cauſa, ut hæc ejus ludibria inimici libentiſſimè biberent, & ulteriùs ſanguinem non ſitirent. Egreditur ad eos Jeſus portans ſpineam coronam, & purpureum veſtimentum, non clarus imperio, ſed plenus opprobrio: & dicitur eis, *Ecce Homo*: Si regi invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis: flagellatus eſt, ſpinis coronatus eſt, ludibrioſa veſte amictus eſt, amaris conviciis illuſus eſt: fervet ignominia, frigeſcat invidia. Sed non frigeſcit, inardeſcit potiùs, & increſcit. *Cùm ergo vidiſſent eum pontifices & miniſtri, clamabant dicentes, Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Accipite eum vos & crucifigite: ego enim non invenio in eo cauſam. Reſponderunt ei Judæi, Nos Legem habemus, & ſecundùm Legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit*. (*Ibid. v. 6.*) Ecce altera major invidia. Parva quippe illa videbatur, velut affectatæ illicito auſu regiæ poteſtatis, & tamen neutrum ſibi Jeſus mendaciter uſurpavit; ſed utrumque verum eſt: & Unigenitus eſt Dei Filius, & rex ab eo conſtitutus ſuper Sion montem ſanctum ejus: (*Pſalm. 2.*) & utrumque nunc demonſtraretur, niſi quantò erat potentior, tantò mallet eſſe patientior. *Tract. 116. in Joan. Obfirmaverunt ſibi ſermonem malignum. Obfirmaverunt*: (*Pſ. 63.*) facta ſunt tanta miracula, non ſunt moti, perſtiterunt in conſilio ſermonis maligni. Traditus eſt ille judici: trepidat judex, & non trepidant qui judici tradiderunt: contremiſcit poteſtas; & non contremi-

miſcit immanitas: vult ille lavare manus, & illi inquinant linguas. Sed quare hoc? *Firmaverunt ſibi ſermonem malignum.* Quanta egit Pilatus, quanta ut refrænarentur? Quæ dixit? quid egit? Sed *firmaverunt ſibi ſermonem malignum.* Crucifige, crucifige. Repetitio confirmatio eſt ſermonis maligni. Videamus, quomodo firmaverunt ſibi ſermonem malignum: *Regem veſtrum crucifigam?* (*Joan.* 19.) Dixerunt, Non habemus regem niſi ſolum Cæſarem: *Obfirmaverunt ſermonem malignum.* Offerebat ille regem Filium Dei, illi ad hominem recurrebant: digni qui illum haberent, & illum non haberent. Adhuc audi, quomodo firmaverunt ſermonem malignum. Non invenio aliquid in iſto homine, ait judex, quo dignus ſit morte. Et illi qui firmaverunt ſermonem malignum, (*Luc.* 23.) dixerunt, Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros, (*Matth.* 27.) *Firmaverunt ſibi ſermonem malignum.* Non Domino, ſed *ſibi.* Quomodo enim non ſibi, cùm dicunt, Super nos & ſuper filios noſtros? Quod ergo firmaverunt, ſibi firmaverunt: quia ipſa vox eſt alibi, Foderunt ante faciem meam foveam, & inciderunt in eam. Dominum mors non occidit, ſed ipſe mortem: illos autem iniquitas occidit, quia noluerunt occidere iniquitatem. In Domino mors occiſa eſt, & in illis iniquitas vixit: vivente autem in ſe iniquitate, illi mortui ſunt, *Enar. in Pſ.* 63. *n.* 8. & 9.

FE-

FERIA VI.

Jesus condemnatur ad mortem crucis.

JUdæi autem clamabant, *dicentes, si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris, (Joan. 19.) Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Majorem timorem se ingerere putaverunt Pilato, terrendo de Cæsare ut occideret Christum, quàm superiùs ubi dixerunt: *Nos Legem habemus, & secundùm Legem debet mori, quia filium Dei se fecit.* Eorum Legem quippe ille non timuit, ut occideret: sed magis Filium Dei timuit, non occideret. Nunc verò non sic potuit contemnere Cæsarem auctorem potestatis suæ, quemadmodum Legem gentis alienæ. Adhuc tamen Evangelista sequitur, & dicit: *Pilatus autem cùm audisset hos sermones, adduxit foras Jesum & sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbatha. Erat autem parasceve Paschæ hora quasi sexta.* Cùm ergo pro tribunali sedisset Pilatus: *Dicit Judæis, Ecce rex vester. Illi autem clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum. Dixit eis Pilatus, Regem vestrum crucifigam?* Adhuc terrorem quem de Cæsare ingesserant, superare conatur, de ignominia eorum volens eos frangere dicendo: *Regem vestrum crucifigam?* quos de ignominia Christi mitigare non potuit: se timore mox vincitur: *Responderunt* enim *Pontifi-*

tifices, *Non habemus regem nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur*. Apertissimè quippe contra Cæsarem venire videretur, si regem se non habere nisi Cæsarem profitentibus, alium regem vellet ingerere dimittendo impunitum, quem propter hos ausus ei tradiderant occidendum: *Tradidit ergo eis illum ut crucifigeretur*, *Tract.* 116. *in Joan. Salvum me fac Deus, quoniam introierunt aquæ usque ad animam meam*, (*Psal.* 68.) Aquas intrasse usque ad animam suam dicit: quia potuerunt illæ turbæ, quas aquarum nomine significavit, hucusque prævalere, ut occiderent Christum. Prævaluerunt ad contemnendum, ad tenendum, ad ligandum, ad insultandum, ad colaphizandum, ad conspuendum. Adhuc quò usque? Usque ad mortem. Ergo *introierunt aquæ usque ad animam meam*. Hanc quippe vitam dixit animam suam, quò usque illi accedere sæviendo potuerunt: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*. Gratias ipsius misericordiæ, qui venit in altitudinem maris, & glutiri à marino ceto dignatus est: sed evomitus est tertio die, (*Matth.* 12.) Venit in altitudinem maris, in qua altitudine nos depressi eramus, in qua altitudine nos naufragium passi eramus: venit illuc ipse, & tempestas demersit illum: quia fluctus ibi passus est, ipsos homines; tempestates, voces dicentium, Crucifige, crucifige. Dicente Pilato,

lato, Non invenio causam ullam in hoc homine quare occidendus sit: invalescebant voces dicentium, Crucifige, crucifige. Augebatur tempestas, donec demergeretur qui venerat in altitudinem maris. Et passus est Dominus inter manus Judæorum, quod non est passus cùm super aquas ambularet: quod non solùm ipse passus non erat, sed nec Petrum pati permiserat: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me, Enar. in Ps. 68. Serm. 1. n. 3. & 6.*

SABBATO.

Jesus portans crucem vadit ad montem Calvariæ.

S*Usceperunt autem Jesum, & eduxerunt: & bajulans sibi crucem exiit in eum qui dicitur Calvariæ locum, Hebraicè Golgotha, ubi crucifixerunt eum, (Joan. 19.)* Ibat ergo ad locum ubi fuerat crucifigendus, portans crucem suam Jesus. Grande spectaculum! sed si spectet impietas, grande ludibrium! si pietas, grande mysterium! si spectet impietas, grande ignominiæ documentum! si pietas, grande fidei munimentum! si spectet impietas, videt regem pro virga regni lignum sui portare supplicii; si pietas, videt regem bajulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus regum: in eo spernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda

San-

Sanctorum. Dicturo enim Paulo: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi,* (*Galat.* 6.) ipsam crucem suam suo gestans humero commendabat; & lucernæ arsuræ quæ sub modio ponenda non erat, candelabrum ferebat, *Tractat.* 117. *in Joan.* Quòd traditus, ut crucifigeretur crucem suam ipse portavit, continentiæ signum dedit, & demonstravit præcedens, quid facere debeat, qui eum sequi voluerit. Hoc etiam verbo commonuit, ubi ait: *Qui diligit me, tollat crucem suam, & sequatur me,* (*Matth.* 16.) *Serm.* 218. O Christianum! nescis quà ivit Dominus tuus? Vis dico tibi, quà eum sequaris? Per pressuras, per opprobria, per falsa crimina, per sputa in faciem, per alapas & flagellorum verbera, per coronam spineam, per crucem, & per mortem. Quid piger es? Ecce demonstrata est tibi via, *Serm.* 345. Porrò enim si ipsum caput nostrum sine primo peracto labore in terra, in cœlo regnare noluit, nempe levare sursum corpus quod deorsum accepit nisi per tribulationis viam; quid audent membra sperare, capite suo magis se posse esse felicia? *Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus?* (*Matth.* 10.) Non ergo speremus molliorem viam: quà præcessit eamus, quà duxit sequamur. Si enim à vestigiis ejus aberraverimus, perimus, *Enarrat. in Psal.* 51. *num.* 1. *A Domino gressus hominis*

nis dirigentur, & viam ejus volet. (*Ps.* 36.) Viam Christi si vis, & verè Christianus es, (ipse est enim Christianus, qui non aspernatur viam Christi, sed vult viam Christi sequi per passiones ipsius,) noli per aliam viam velle ire quàm per illam qua ipse ivit. Dura videtur, sed ipsa est tuta via: alia fortè delicias habet, sed latronibus plena est: *Et viam ejus volet. Cùm ceciderit non conturbabitur, quoniam Dominus confirmat manum ejus.* Ecce quid est velle viam Christi. Contingat illi, ut aliquam tribulationem patiatur, aliquam exhonorationem, aliquam contumeliam, aliquam afflictionem, aliqua damna, & cætera quæcumque abundant in vita ista generi humano: proponit sibi Dominum suum, quanta genera tentationum passus est: *Et non conturbabitur cùm ceciderit, quia Dominus confirmat manum ejus*, quia prior passus est. Quid enim timebis, ò homo, cujus directi sunt gressus, ut velles viam Domini? Quid timebis? Dolores? Flagellatus est Christus. Contumelias timebis? Audivit: *Dæmonium habes*, qui dæmonia excludebat. Fortè conspirationem & factionem malorum? Conspiratum est adversùs illum. Non potes ostendere fortè conscientiam tuam bonam in aliqua accusatione, & vim pateris quòd adversùs te falsi testes audiuntur? Contra ipsum primùm falsum testimonium dixerunt, non solùm ante mortem, sed etiam post resurrectionem. Inducti sunt falsi testes, ut à judi-

judicibus damnaretur: accesserunt falsi testes custodes ad sepulchrum, *Enarrat. in Psal. 36. Serm. 2. num. 16. & 17.*

DOMINICA PALMARUM.

Jesus inter duos latrones crucifixus, ab uno blasphematur, ab altero imploratur.

B*Ajulans sibi crucem exiit in eum qui dicitur Calvariæ locum, Hebraicè Golgotha: ubi eum crucifixerunt: & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Jesum,* (*Joan.* 19.) Isti duo latrones erant, sicut aliorum Evangelistarum narratione didicimus, cum quibus crucifixus & inter quos fixus est Christus: de quo præmissa dixerat prophetia: *Et inter iniquos deputatus est*, (*Isai.* 53.) *Tract.* 117. *in Joan.* Duos latrones hinc atque inde posuerunt: sed causam similem non habuerunt. Lateribus pendentis adjungebantur, sed longè separabantur. Illos facinora sua: illum crucifixerunt nostra. Verumtamen etiam in uno ipsorum satis apparuit, quantum valeret, non cruciatus pendentis, sed pietas confitentis. Acquisivit latro in dolore, quod Petrus perdiderat in timore: scelus admisit, crucem ascendit, causam mutavit, paradisum comparavit. Meruit omninò causam mutare, qui non contempsit in Christo similitudinem pęnæ, Judæi contempserunt miracula facientem, ille credidit in pendentem. Consortem crucis Dominum agno-

agnovit, & regno cœlorum credendo vim fecit. Tunc in Christum credidit, quando fides Apostolica trepidavit, *Sermon.* 285. Tunc enim fides ejus de ligno floruit, quando discipulorum marcuit, nisi cujus mortis terrore marcuerat, ejus resurrectione revivesceret. Illi enim desperaverunt de moriente, ille speravit in commoriente: refugerunt illi auctorem vitæ, rogavit ille consortem pœnæ: doluerunt illi tamquam hominis mortem, credidit ille regnaturum esse post mortem: deseruerunt illi sponsorem salutis, honoravit ille socium crucis. Inventa est in eo mensura martyris, qui tunc in Christum credidit, quando defecerunt qui futuri erant martyres, *L.* 1. *de Anima & ejus orig. c.* 9. Erat ille confixus omnibus membris, manus clavis inhærebant, pedes transfixi erant, totum corpus adjungebatur ligno; corpus illud non vacabat cæteris membris, lingua vacabat & cor: corde credidit, ore confessus est: *Memento mei*, inquit, *Domine, cùm veneris in regnum tuum*, (*Luc.*23.) Salutem suam longè futuram sperabat, & post longum tempus accipere contentus erat: ille longum sperabat, dies non est dilatus. Ille dixit: *Memento mei, cùm veneris in regnum tuum:* ille respondit, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Hodie, inquit, mecum eris in Paradiso. Paradisus habet ligna felicia: hodie mecum in ligno crucis, hodie mecum in ligno salutis, *Enar. in Psalm.* 39. *num.* 15.

Me-

Meritò audire meruit : *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Hoc quidem ſibi ipſe non promiſerat : magnæ quidem ſe miſericordiæ commendabat , ſed & ſua merita cogitabat: *Domine*, inquit, *memento mei*, *dum veneris in regnum tuum*. Quò uſque veniret Dominus in regnum ſuum , in pœnis ſe futurum ſperabat, & ſaltem in ejus adventu miſericordiam in ſe fieri flagitabat. Proinde ſe latro ſua merita cogitans differebat : ſed Dominus latroni, quod deſperaverat, offerebat; tamquam diceret , Tu petis ut meminerim tui, dum venero in regnum meum : *Amen dico tibi* , *hodie mecum eris in paradiſo* . Agnoſce cui te commendas, quem credis venturum; antequam veniam, ubique ſum. Ideò quamvis in inferna deſcenſurus , habeo te hodie in paradiſo , non alteri commendatum, ſed mecum. Ad homines enim mortales , & ad ipſos mortuos deſcendit humilitas mea, de paradiſo autem numquam diſcedit divinitas mea. Ita factæ ſunt tres cruces, tres cauſæ. Unus latronum Chriſto inſultabat , alter ſua mala confeſſus Chriſti ſe miſericordiæ commendabat. Crux Chriſti in medio non fuit ſupplicium ſed tribunal: de cruce quippe inſultantem damnavit, credentem liberavit . Timete inſultantes , gaudete credentes : hoc faciet in claritate , quod fecit in humilitate , *Sermon*. 285.

FE-

FERIA II.

Judæi illudunt, & insultant Christo in cruce pendenti.

FUit Christus irrisibilis quodam modo, & reprehensibilis inter Judæos, visus est humilis, contemptus est. Occultabat enim majestatem, promptam habebat infirmitatem. Contemptum est in illo quod promptum erat, nec cognitum quod occultum erat: *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent*, (1. *Corinth.* 2.) Numquid adhuc contemnendus est sedens in cœlo, si contemptus est cùm penderet in ligno? Agitaverunt caput qui eum crucifixerunt, & ante crucem ejus stantes, & tamquam ad fructum suæ sævitiæ pervenientes, insultantes dicebant: *Si Filius Dei est, descendat de cruce. Alios salvos fecit, seipsum salvum facere non potest? Descendat de cruce, & credimus in eum*, (*Matth.* 27.) Non descendebat, quia latebat. Multò enim faciliùs poterat de cruce descendere, qui potuit de sepulchro resurgere. Ad nostram informationem demonstrabat patientiam, differebat potentiam, *Serm.* 87. Gavisi sunt Judæi, quando viderunt Christum crucifixum, implesse se arbitrati sunt voluntatem nocendi: effectum fructum sævitiæ suæ viderunt Christum in cruce pendentem; agitaverunt caput: *Si Filius Dei est, descendat*

de

de cruce. Non descendebat qui poterat: non potentiam demonstrabat, sed patientiam docebat. Si enim hæc illis dicentibus de cruce descenderet, quasi insultantibus cessisse videretur, & victus opprobria tolerare non potuisse crederetur: magis mansit in cruce illis insultantibus, fixus illis nutantibus. Ideò enim & caput agitabant, quia verò capiti non inhærebant, *Enarrat. in Psalm.* 40. *num.* 13. O agitantes caput ante crucem, & non figentes caput in capite quod pendebat in cruce! Meritò nutat insultantium caput; donec sit eorum caput ille ipse, cui insultabatur, *Enar. in Psalm.* 103. *Serm.* 1. *num.* 5. Docuit nos planè ille patientiam. Nam quod est fortius fecit, qui noluit facere quod Judæi provocabant. Multò est enim potentius de sepulchro surgere, quàm de cruce descendere, *Enarrat. in Psal.* 40. *num.* 13. Prorsus non descendit, fixus permansit, quando vellet abscessurus. Intelligamus ergo nos quibus hoc ministratum est, potentiam Domini nostri Jesu Christi occultam tunc, manifestam futuram in judicio, de quo dictum est: *Deus manifestus veniet, Deus noster & non silebit*, (*Psal.* 49.) Quid est, manifestus veniet? Quia venit occultus, veniet manifestus Deus noster, hoc est Christus: *Et non silebit*. Quid est non silebit? quia primo siluit. Ubi siluit? quando judicatus est, ut etiam hoc impleretur, quod & Propheta prædixerat: *Sicut ovis ad immo-*

lan-

landum ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum, (*Isai.* 53.) Si ergo pati nollet, non pateretur; si non pateretur, sanguis ille non funderetur; si sanguis ille non funderetur, mundus non redimeretur. Agamus itaque gratias & potestati divinitatis, & miserationi infirmitatis ejus: & de occulta potentia, quam Judæi non noverant, *Tract.* 37. *in Joan.*

FERIA III.

Jesus in cruce pendens opprobria insultantium Judæorum patienter tolerat illis ad salutem, nobis ad patientiæ documentum.

PRopter nos pati voluit Christus. Ait Apostolus Petrus: *Pro vobis passus est, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus,* (1. *Petr.* 2.) Pati te docuit, & patiendo te docuit. Parum erat verbum, nisi adderetur exemplum. Et quomodo docuit, Fratres? Pendebat in cruce, Judæi sæviebant: in asperis clavis pendebat, sed lenitatem non amittebat. Illi sæviebant, illi circumlatrabant, illi pendenti insultabant; quasi uno summo medico in medio constituto, phrenetici circumquaque sæviebant. Pendebat ille, & sanabat: *Pater,* inquit, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt,* (*Luc.* 23.) Petebat, & tamen pendebat: non descendebat, quia de sanguine suo medicamentum phreneti-

cis

cis faciebat. Denique quia verba petentis Domini, ejusdemque misericordiam exaudientis, quia Patrem petiit, & cum Patre exaudivit; quia illa verba non potuerunt inaniter fundi, post resurrectionem suam sanavit, quos pendens insanissimos toleravit, *Serm.* 284. Isti qui sanos se putabant, multò periculosiùs & desperatiùs ægrotabant; & ipsa ægritudine qua mentes perdiderant, etiam medicum cædebant. Parum est, cædebant: dicam totum; non solùm cædebant, sed etiam occidebant. Ille autem etiam cùm occideretur, medicus erat; vapulabat, & curabat; patiebatur phreneticum, nec deserebat ægrotum: tenebatur, alligabatur, colaphis percutiebatur, arundine plagas accipiebat, irridebatur, insultabatur ei, postremò audiebatur, damnabatur, ligno suspendebatur, undique circumfremebatur; & medicus erat. Agnoscis phreneticos, agnosce & medicum: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Illi perdita mente sæviebant, & medici sanguinem sæviendo fundebant: ille autem etiam de ipso sanguine suo ægrotis medicamenta faciebat. Non enim frustrà dixit: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Orat Christianus, & exauditur; orat Christus, & non exauditur? Nam qui exaudit cum Patre, quia Deus est, quomodo non exauditur homo, quod pro nobis factus est? Prorsus exauditus est, *Ser.* 175. Non vacavit vox illa. Mortuus est,

ſepultus eſt, reſurrexit, factis quadraginta diebus cum diſcipulis ſuis aſcendit in cœlum, miſit Spiritum Sanctum in eos qui expectabant promiſſum. Illi accepto Spiritu Sancto impleti ſunt, & cœperunt loqui linguis omnium gentium. Tunc Judæi qui aderant, expaveſcentes in nomine Chriſti loqui omnibus linguis homines idiotas, imperitos, quos inter ſe nutritos noverant in lingua una, expaverunt: unde hoc munus eſſet, Petro loquente didicerunt. Ille hoc donavit, qui in ligno pependit. Ille hoc donavit, qui irriſus eſt pendens in ligno, ut daret Spiritum ſanctum ſedens in cœlo. Audierunt, crediderunt illi de quibus dixerat: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Crediderunt, baptizati ſunt, atque eſt facta converſio. Quæ converſio? Sanguinem Chriſti, quem ſævientes fuderunt, credentes biberunt, *Serm.* 80. Ille qui apprehenſus, colaphizatus, flagellatus, ſputis illitus, ſpinis coronatus, in cruce ſuſpenſus, mortuus, lancea vulneratus, de cruce depoſitus, in ſepulchro poſitus. Ille ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus; ille ipſe planè, & ipſe eſt totus medicus vulnerum noſtrorum, crucifixus ille cui inſultatum eſt, quo pendente, perſecutores caput agitabant, & dicebant: *Si Filius Dei eſt, deſcendat de cruce*: ipſe eſt totus medicus noſter, ipſe planè. Quare ergo non oſtendit inſultantibus, quia ipſe erat Filius Dei, ut ſi ſe permiſit in crucem levari,

ſal-

ſaltem cùm illi dicerent: *Si Filius Dei eſt, deſcendat de cruce*: tunc deſcenderet, & oſtenderet eis verum ſe eſſe Filium Dei, quem illi auſi fuerant irridere? noluit. Quare noluit? numquid quia non potuit? potuit planè. Quid eſt enim amplius, de cruce deſcendere, an de ſepulchro reſurgere? Sed pertulit inſultantes: nam crux non ad potentiæ documentum, ſed ad exemplum patientiæ ſuſcepta eſt. Ibi vulnera tua curavit, ubi ſua diu pertulit: ibi te à morte ſempiterna ſanavit, ubi temporaliter mori dignatus eſt. Et mortuus eſt, an in illa mors mortua eſt? Qualis mors, quæ mortem occidit! *Tractat. 3. in Joan.*

FERIA IV.

Jeſus in cruce pendens orat pro ſuis inimicis.

ET *tu Domine Deus miſerator & miſericors, longanimis & multùm miſericors & verax*, (*Pſal.* 85.) Quare longanimis, & multùm miſericors, & miſerator? Quia in cruce pendens, ait: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*, (*Luc.* 23.) Quem petit? pro quibus petit? quis petit? ubi petit? Patrem filius, pro impiis crucifixus, inter ipſas injurias non verborum, ſed mortis illatæ, pendens in cruce: tamquam ad hoc extentas manus habuerit, ut ſic pro illis oraret, ut dirigeretur oratio ejus tamquam

incensum in conspectu Patris, & elevatio manuum ejus tamquam sacrificium vespertinum, (*Psal.* 140.) *Enarrat. in Psal.* 85. *numer.* 20. *Pro eo ut diligerent me, detrahebant mihi, ego autem orabam,* (*Ps.* 108.) Non quidem dixit quid orabat: sed quid melius intelligimus, quàm pro eis ipsis? Crucifixo enim maximè detrahebant, quando velut homini, quem quasi vicerant, illudebant: de qua cruce ille dixit: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Ut quoniam in profundo malignitatis reddebant ipsi mala pro bonis, ille in summo benignitatis redderet bona pro malis, *Enarrat. in Psal.* 108. *num.* 5. Quando claudus ille qui sedebat ad portam, ad vocem Petri surrexit, & suis pedibus ambulavit, ita ut homines mirarentur, sic eos allocutus est Petrus, quia non in sua potestate ista fecit, sed in virtute illius, quem ipsi occiderunt, (*Act.* 2.) Multi compuncti dixerunt, Quid faciemus? Viderunt enim se ingenti crimine impietatis adstrictos, quando illum occiderunt, quem venerari & adorare debuerunt: & hoc putabant esse inexpiabile. Magnum enim facinus erat, cujus consideratio illos faceret desperare: sed non debebant desperare, pro quibus in cruce pendens Dominus dignatus est orare. Dixerat enim: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Videbat quosdam suos inter multos alienos; illis jam petebat veniam, à quibus adhuc accipiebat injuriam. Non enim attendebat quod

ab

ab ipsis moriebatur, sed quia pro ipsis moriebatur. Multum est quòd illis concessum est, & ab ipsis, & pro ipsis; ut nemo de sui peccati dimissione desperet, quando illi veniam meruerunt, qui Christum occiderunt. Mortuus est Christus pro nobis, sed numquid à nobis? At verò illi viderunt Christum suo scelere morientem: & crediderunt in Christum suis sceleribus ignoscentem. Quousque biberent sanguinem quem fuderant, de sua salute desperaverunt, *Tractat.* 31. *in Joan.* Compuncti corde conversi sunt; & tanti sanguinis tam impiè atque immaniter fusi indulgentiam perceperunt, ipso redempti sanguine quem fuderunt. Christi enim sanguis sic in remissionem peccatorum omnium fusus est, ut ipsum etiam peccatum posset delere quo fusus est, *Tractat.* 92. *in Joan.* *discite à me quia mitis sum & humilis corde*, (*Matth.* 11.) Discamus à te, quia mitis es & humilis corde. Ubi magis apparere vel potuit, vel debuit dignus, quàm in ipsa cruce? Cum in ligno membra penderent, cùm clavis confixæ manus & pedes essent, cùm illi sævirent linguis, cùm se sanguine fuso non satiarent, cùm ægrotantes medicum non agnoscerent: *Pater*, inquit, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Tamquam diceret, Ego veni ægros curare: quòd me non agnoscunt, febris immanitas facit. Mitis ergo & humilis corde, dicit: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*, *Sermon.* 279.

Tu ſerve redempte ſanguine crucifixi Domini tui, non imitaberis Salvatorem tuum? Sed non vult dimittere anima tua, & contriſtatur, quia dicis ei, Noli odiſſe? Reſponde illi, Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? (*Pſal.* 41.) Quare triſtis es? Noli odiſſe, ne perdas me. Quare conturbas me? Spera in Deum. Langues, anhelas, ægritudine ſauciaris; non potes tibi tollere odium. Spera in Deum, medicus eſt; pro te pependit in ligno, & nondum eſt vindicatus. Quid vis vindicari? Ideò enim odiſti, ut vindiceris. Vide pendentem Dominum tuum, vide pendentem, & tibi de ligno tamquam de tribunali præcipientem. Vide pendentem, & tibi languenti de ſuo ſanguine medicamentum facientem. Vide pendentem, audi precantem: vide pendentem, audi precantem: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*, *Serm.* 5. & 49.

FERIA V. IN COENA DOMINI.

Jeſus in cruce ſitiens aceto potatur.

POſteà *ſciens Jeſus quia omnia conſummata ſunt, ut conſummaretur Scriptura,* (*Jo.* 19.) *dicit, Sitio. Vas ergo poſitum erat aceto plenum, illi autem ſpongiam plenam aceto hyſſopo circumponentes obtulerunt ori ejus. Cùm ergo accepiſſet Jeſus acetum, dixit, Conſummatum eſt. Et inclinato capite, tradidit ſpiritum*. Quis poteſt quæ

facit,

facit, ita disponere, quomodo disposuit homo iste quæ passus est? Sed homo mediator Dei & hominum; homo de quo prædictum legitur, (1. *Tim.* 2.) Et homo est, & quis agnoscet eum? quoniam homines per quos hæc fiebant, non agnoscebant hominem Deum. Homo namque apparebat qui Deus latebat: patiebatur hæc omnia qui apparebat, & idem ipse disponebat hæc omnia qui latebat. Vidit ergo quia consummata sunt omnia, quæ oportebat ut fierent antequam acciperet acetum & traderet spiritum: atque ut hoc etiam consummaretur quod Scriptura prædixerat, Et in siti mea potaverunt me aceto, (*Psalm.* 68.) *Sitio*, inquit: tamquam diceret, Hoc minùs fecistis, date quod estis. Judæi quippe ipsi erant acetum, degenerantes à vino Patriarcharum & Prophetarum, & tamquam de pleno vase, de iniquitate mundi hujus impleti, cor habentes velut spongiam, cavernosis quodammodo atque tortuosis latibulis fraudulentum. Hyssopum autem cui circumposuerunt spongiam aceto plenam, quoniam herba est humilis, & pectus purgat, ipsius Christi humilitatem congruenter accipimus: quam circumdederunt, & se circumvenisse putaverunt. Unde est illud in Psalmo, *Asperges me hyssopo, & mundabor*, (*Ps.* 50.) Christi namque humilitate mundamur, quia nisi humiliasset semetipsum, factus obediens usque ad mortem crucis, (*Phil.* 2.) non

utique sanguis ejus in peccatorum remissionem, hoc est, in nostram mundationem fuisset effusus, *Tractat.* 119. *in Joan.* De cruce cùm diceret, *Sitio*: fidem illorum quærebat, pro quibus dixerat: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Sed illi homines quid propinarunt sitienti? Acetum. Acetum enim vinum vetus dicitur. Meritò de vetere homine propinarunt, quia novi esse noluerunt, *Enar. in Psalm.* 68. *Serm.* 1. *num.* 14. Quid esurivit, quid sitivit Christus, nisi bona opera nostra? In illis enim crucifigentibus & persequentibus, quia nulla bona opera invenerat, jejunabat: retribuebant enim sterilitatem animæ ipsius. Nam quale jejunium ipsius fuit, qui vix invenit unum latronem, quem in cruce gustaret? Apostoli enim fugerant, & se in turba abscondérant. Et ille Petrus qui se usque ad mortem Domini perseveraturum esse promiserat, jam ter negaverat, jam fleverat, & adhuc in turba latebat, adhuc timebat ne agnosceretur, *Enarrat. in Psal.* 34. *Serm.* 2. *nu.* 4. Sitiit in cruce: accepit potum, non à miserante, sed ab insultante; & bibit acetum in morte fons vitæ, *Serm.* 41. Docuit nos bibere modò calicem amaritudinis, & posteà accipere sempiternam salutem. Bibe æger calicem amarum, ut sanus sis, cui non sunt sana viscera: noli trepidare, quia ne trepidares, prior bibit medicus, id est, passionis amaritudinem bibit prior Dominus.

Bibit qui peccatum non habebat, qui quod in eo ſanaretur non habebat. Bibe donec tranſeat amaritudo hujus ſæculi, & veniat ſæculum, ubi nullum ſcandalum, nulla ira, nulla tabes, nulla amaritudo, nulla febris, nullus dolus, nullæ inimicitiæ, nulla ſenectus, nulla mors, nulla contentio. Labora hìc, venturus ad finem; labora, ne cùm non vis hìc laborare, venias ad finem vitæ, & numquam venias ad finem laborum, *Enar. in Pſal.* 48. *Serm.* 1. *num.* 11.

FERIA VI. IN PARASCEVE.

Jeſus moritur.

Cum ergo accepiſſet Jeſus acetum, dixit, Conſummatum eſt, (Joan. 19.) Et inclinato capite, tradidit ſpiritum.* Quis ita dormit quando voluerit, ſicut Jeſus mortuus eſt quando voluit? Quis ita veſtem ponit quando voluerit, ſicut ſe carne exuit quando voluit? Quis ita cùm voluerit abit, quomodo cùm voluit obiit? Quanta ſperanda vel timenda poteſtas eſt judicantis, ſi apparuit tanta morientis? *Tractat.* 119. *in Joan.* Nemo noſtrùm quia vult naſcitur, & nemo noſtrùm quando vult moritur: ille quando voluit natus eſt, quando voluit mortuus eſt: quomodo voluit natus eſt de Virgine, quomodo voluit mortuus eſt in cruce. Quidquid voluit, fecit: quia ſic erat

homo, ut lateret Deus: suſceptor Deus, suſceptus homo, unus Chriſtus Deus & homo. De cruce ipſius quid loquar? quid dicam? Extremum genus mortis elegit, ne aliquod genus mortis ejus Martyres formidarent. Doctrinam oſtendit in homine, exemplum patientiæ demonſtravit in cruce. Ibi opus, quia crucifixus: exemplum operis crux; præmium operis, reſurrectio. Oſtendit nobis in cruce quid tolerare, oſtendit in reſurrectione quid ſperare debeamus. Prorſus tamquam Agonotheta ſummus dixit, Fac, & tolle: fac opus, & accipe præmium. Quod eſt opus? Obedientia. Quod eſt præmium? Reſurrectio ſine morte, *L. 1. de ſymb. ad Cat. c. 3.* Apoſtolus dicit, loquens de Domino Chriſto: *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo*, (*Phil. 2.*) Quanta majeſtas! *Sed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. Quanta humilitas! Humiliavit ſe Chriſtus: habes, Chriſtiane, quod teneas. Chriſtus *factus eſt obediens*: quid ſuperbis? Quò uſque factus eſt obediens Chriſtus? Uſque ad incarnationem Verbi, uſque ad participationem mortalitatis humanæ, uſque ad trinam Diaboli tentationem, uſque ad irriſionem populi Judæorum, uſque ad ſputa & vincula, uſque ad alapas & flagella: ſi parum eſt, *uſque ad mortem*; & ſi adhuc aliquid etiam de genere mortis addendum, *mortem autem*

tem

tem crucis, *Sermon.* 304. Creator hominis, homo esse dignatus est: factus est quod fecerat, ne periret quem fecerat. Quid huic misericordiæ addi potest? Et tamen addidit. Parum fuit ei hominem fieri; sed etiam ab hominibus reprobari: parum erat reprobari; & exhonorari: parum erat exhonorari, & occidi: sed & hoc parum est; morte crucis. Nam & cùm ejus obedientiam usque ad mortem factam commendaret Apostolus, parum illi fuit dicere: *Factus obediens usque ad mortem*; non enim qualemcumque mortem, sed addidit, *mortem autem crucis*. Illa morte pejus nihil fuit inter omnia genera mortium. Denique ubi dolores acerrimi exagitant, cruciatus vocatur, à cruce nominatus. Pendentes enim in ligno crucifixi, clavis ad lignum pedibus manibusque confixi, producta morte necabantur. Non enim crucifigi hoc erat occidi: sed diu vivebatur in cruce; non quia longior vita eligebatur, sed quia mors ipsa protendebatur, ne dolor citiùs finiretur. Mori voluit pro nobis: parum dicimus, crucifigi dignatus est, usque ad mortem crucis obediens factus. Elegit extremum & pessimum genus mortis, qui omnem fuerat ablaturus mortem: de morte pessima occidit omnem mortem. Pessima enim erat non intelligentibus Judæis; nam à Domino electa erat. Ipsam enim crucem suam signum habiturus erat, ipsam crucem de Diabolo superato tamquam trophæum in

frontibus fidelium positurus, ut diceret Apostolus: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*, (*Galat. 6.*) Nihil erat tunc in carne intolerabilius, nihil est nunc in fronte gloriosius, *Tractat. 36. in Joan.* Toto vobis figatur in corde qui pro vobis est fixus in cruce. Illud ipsum quod in eo derident superbi, inspicite quàm pulchrum sit. Internis luminibus inspicite vulnera pendentis, cicatrices resurgentis, sanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis. Hæc quanti valeant cogitate, hæc in statera charitatis appendite, *L. de sancta Virg. cap. 54. & 55.*

SABBATO SANCTO.

Caveat Homo Christianus, ne beneficium Dominicæ passionis judicium potiùs pariat quàm profectum.

NOs, Fratres Charissimi, pro quorum salute ista omnia & prædicta sunt & impleta, gratias agamus divinæ misericordiæ, & quantum possumus, totis viribus laboremus, ut beneficia Dei non nobis judicium pariant, sed profectum: ut cùm tremendi judicii dies & tempus reddendæ rationis advenerit, quidquid nobis Dominus & Salvator noster contulit judicatus, integrum inveniat judicaturus.

rus. Et quidem iſte cùm venerit, reddi-turus eſt quod promiſit, ſed requiſiturus eſt quod redemit: & quod in primo ad-ventu contulit, exacturus eſt in ſecundo. Quamvis multum præſumere debeamus de miſericordia Dei, non tamen negligenter timere debemus juſtitiam ejus. Cum juſti-tia enim te judicabit, qui cum miſericor-dia te redemit. Nam quod tam longo tempore peccamus & parcit, non eſt ne-gligentia, ſed patientia. Non ille poten-tiam perdidit, ſed nos ad pœnitentiam reſervavit. Timeamus juſtitiam, cujus mi-ſericordiam deſideramus. Parcit enim mo-dò, ſed non tacet: ſed & ſi tacet, non ſemper tacebit. Audiamus ergo eum dum non tacet in præcepto, ut nobis parcat, cùm non tacuerit in judicio. Modò enim nobis prærogatur miſericordia, tunc à no-bis exigetur juſtitia, & reddet unicuique ſecundùm opera ſua: ac fiet illud, quod Apoſtolus dixit, *Judicium ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam.* (*Jac.* 2.) *Serm.* 44. Erit tempus gloriæ, ut qui ve-nit in humilitate, veniat in altitudine. Qui venit judicandus, veniet judicaturus: qui venit occidi à mortuis, veniet judi-care de vivis & mortuis. *Deus*, inquit Pſalmus, *manifeſtus veniet, Deus noſter & non ſilebit.* (*Pſalm.* 49.) Quid eſt ma-nifeſtus veniet? quia venit occultus. Tunc non ſilebit: nam quando venit oc-cultus, *ſicut ovis ad immolandum ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe non*

ape-

aperuit os suum. (*Isa.* 53.) Veniet & non silebit. *Tacui*, inquit, *numquid semper tacebo?* (*Isa.* 55.) *Tract.* 28. *in Joan.* Veniet judicaturus, qui venit judicandus: veniet discreturus, qui venit ut non disceneretur. Non enim ab impiis Christus est discretus, sed cum impiis judicatus: de illo enim dictum est, *Inter iniquos reputatus est.* (*Isa.* 53.) Latro evasit: Christus damnatus est. Accepit indulgentiam criminosus, damnatus est qui omnium crimina confitentium relaxavit. Tamen & ipsa crux, si attendas, tribunal fuit: in medio enim judice constituto, unus latro qui credidit liberatus, alter qui insultavit damnatus est. Jam significabat quod facturus est de vivis & mortuis, alios positurus ad dexteram, alios ad sinistram: similis ille latro futuris ad sinistram, similis alter futuris ad dexteram. Judicabatur, & judicium minabatur. *Tract.* 31. *in Joan.* Inter duos latrones crucifixus erat: hinc & inde facinorosi confixi, in medio ipse. Et tamquam illud lignum tribunal esset, insultantem damnavit, confitentem coronavit. Quid faciet judicaturus, si hoc potuit judicatus? *Serm.* 331.

DO-

DOMINICA RESURRECTIONIS.

Resurrectio triumphus est Christi, ac spes Christiani.

RESurrectionem Christiani novimus in capite nostro jam factam, & in membris futuram. Caput Ecclesiæ Christus est, membra Christi Ecclesia. Quod præcessit in capite, sequetur in corpore. Hæc est spes nostra: ad hoc credimus, ad hoc duramus, & perseveramus in tanta malignitate hujus sæculi, consolante nos spe, antequam spes fiat res. Res enim erit cùm & nos resurrexerimus, & in cœlestem habitum commutati æquales Angeli facti fuerimus. Quis hoc sperare auderet, nisi veritas promitteret? *Enar. in Psalm. 65. num.* 1. Salvator mortuus est, sed mortem occidit: finivit in se quam timebamus; suscepit illam, & occidit illam; quomodo summus venator leonem cepit, & necavit. Ubi est mors? Quære in Christo, jam non est: sed fuit, & mortua est ibi. O vita mors mortis! Bono animo estote, morietur & in nobis. Quod præcessit in capite, reddetur in membris: morietur & in nobis mors. Sed quando? In fine sæculi, in resurrectione mortuorum, quam credimus, & de qua non dubitamus. *Qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, ipse salvus erit.* (*Matth.* 16.) Sequere quod timeas: *Qui autem non crediderit, condemnabitur.* Ergo mors

mors morietur in nobis, victura est in damnatis. Ubi mors nesciet mortem, sempiterna mors erit: quia æterna tormenta erunt. In nobis morietur, & non erit. Vultis nosse? Dico vobis pauca verba triumphantium, ut habeatis quod meditemini, quod corde cantetis, quod toto animo speretis, quod fide & bono opere requiratis. Audite verba triumphantium, quando non erit mors; quando & in nobis, sicut in capite nostro, morietur mors. Paulus Apostolus dicit, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Tunc fiet sermo, qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam.* (1. *Cor.* 15.) Dixi vobis, quia morietur mors in nobis: *Absorpta est mors in victoriam*. Ista est mors mortis. Absorbebitur, ut non appareat. Quid est, ut non appareat? Ut non sit, nec intus, nec foris. *Absorpta est mors in victoriam*. Gaudeant triumphantes; dicant quod sequitur; *Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors aculeus tuus?* Ubi est? Cepisti, possedisti, vicisti, & tibi addixisti; percussisti, & occidisti. *Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors aculeus tuus?* Nonne confregit illum Dominus meus? O mors, quando Domino meo hæsisti, tunc & mihi peristi! *Ser.* 233. Resurrexit tertia die: & quodammodo hoc nobis dixit Dominus, Quod in me vidistis, sperate in vobis: id est, quia ego resurrexi, resurgetis & vos. Sed sunt qui dicant, Ecce resurrexit Dominus,

num-

numquid propterea ſperandum eſt & me poſſe reſurgere? Utique propterea. In hoc enim reſurrexit Dominus, quod à te accepit. Non enim reſurgeret, niſi mortuus eſſet: non autem mortuus eſſet, niſi carnem portaret. Quid accepit à te Dominus? Carnem. Quid venit ipſe? Verbum Dei, quod erat ante omnia, per quem facta ſunt omnia. Sed ut acciperet abs te aliquid, *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* (*Joan.* 1.) Accepit abs te, quod offerret pro te: quomodo accipit ſacerdos à te; quod pro te offerat, quando vis placare Deum pro peccatis tuis. Jam factum eſt, ita factum eſt. Sacerdos noſter à nobis accepit, quod pro nobis offerret. Accepit enim à nobis carnem: in ipſa carne victima factus eſt, holocauſtum factus eſt, ſacrificium factus eſt. In paſſione ſacrificium factus eſt: in reſurrectione [illegible] novavit illud quod occiſum eſt, & [illegible] quam primitias tuas dedit Deo; & ait tibi, Conſecrata ſunt jam omnia tua, quando tales primitiæ de te datæ ſunt Deo: ſpera ergo & in te futurum quod præceſſit in primitiis tuis. *Enar. in Pſalm.* 129. *num.* 6. & 7.

FE-

FERIA II. PASCHATIS.

Jesus duobus discipulis apparet in via, & ab illis agnoscitur in fractione panis.

DOminus Jesus posteaquam resurrexit à mortuis, invenit duos in via ex discipulis suis, colloquentes invicem de his quæ contigerant, & dixit illis, *Qui sunt sermones isti, quos loquimini vobiscum, & estis tristes?* (*Luc.* 24.) Apparuit Jesus: videbatur oculis, & non agnoscebatur. Magister ambulabat cum illis in via, & ipse erat via: & nondum illi ambulabant in via; sed invenit eos exorbitasse de via. Quando enim cum illis fuerat ante passionem, omnia prædixerat; passurum se fuisse, moriturum, tertio die resurrecturum: omnia prædixerat; sed mors illius, illorum oblivio fuit. Sic perturbati sunt, quando eum viderunt in ligno pendentem, ut obliviscerentur docentem, non expectarent resurgentem, nec tenerent promittentem. *Nos*, inquiunt, *sperabamus, quia ipse erat redempturus Israel.* (*Luc.* 24.) O Discipuli! sperabatis; ergo jam non speratis? *Serm.* 235. Hic est omnis discipulatus vester? In cruce latro vos vicit. Vos obliti estis eum qui docebat: ille agnovit cum quo pendebat, *Nos sperabamus*. Quid sperabatis? *Quia ipse erat redempturus Israel.* (*Luc.* 23.) Quod sperabatis, & illo crucifixo perdidistis, hoc latro crucifixus agno-

vit.

vit. Ait enim Domino: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum*. Ecce quia ipſe erat redempturus Iſrael. Crux illa, ſchola erat. Ibi docuit Magiſter latronem. Lignum pendentis, cathedra factum eſt docentis. Sed qui reddidit ſe vobis, revocet ſpem vobis. *Serm.* 234. Ecce Chriſtus vivit, & ſpes mortua eſt in vobis. Prorſus vivit Chriſtus. Vivens Chriſtus mortua diſcipulorum corda invenit: quorum oculis & apparuit & non apparuit; & videbatur & abſcondebatur. Nam ſi non videbatur, quomodo illum interrogantem audiebant, interroganti reſpondebant? In via cum illis tamquam comes ambulabat, & ipſe dux erat. Utique videbant, ſed non agnoſcebant. *Tenebantur enim oculi eorum, ne eum agnoſcerent*. Non tenebantur, ne viderent: ſed *tenebantur, ne eum agnoſcerent*. Eja, Fratres, ubi voluit Dominus agnoſci? In fractione panis. Securi ſumus, panem frangimus, & Dominum agnoſcimus. Noluit agnoſci, niſi ibi, propter nos, qui non eum viſuri eramus in carne, & tamen manducaturi eramus ejus carnem. Quiſquis ergo fidelis es, quiſquis non inaniter Chriſtianus vocaris, quiſquis Eccleſiam non ſine cauſa ingrederis, quiſquis verbum Dei cum timore & ſpe audis, conſoletur te fractio panis. Abſentia Domini, non eſt abſentia: habeto fidem, & tecum eſt quem non vides. Illi, quando cum eis Dominus loquebatur, nec fidem habebant: quia eum reſurre-

xisse non credebant, non resurgere posse sperabant. Perdiderant fidem, perdiderant spem. Ambulabant mortui cum vivente, ambulabant mortui cum ipsa vita. Cum illis ambulabat vita; sed in eorum cordibus nondum renovata erat vita. Et tu ergo, si vis habere vitam, fac quod fecerunt, ut agnoscas Dominum. Hospitio susceperunt. Similis enim erat Dominus tamquam in longinqua pergenti, illi verò tenuerunt eum. Et postea quàm venerunt ad locum, quò tendebant, dixerunt, *Jam hìc nobiscum mane, declinavit enim in vesperum dies*. Tene hospitem, si vis agnoscere Salvatorem. Quod tulerat infidelitas, reddidit hospitalitas. Dominus ergo præsentavit seipsum in fractione panis. Discite ubi Dominum quæratis, discite ubi habeatis, discite ubi agnoscatis, quando manducatis. *Serm.* 235. Norunt fideles quid dicam: norunt Christum in fractione panis. Non enim omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit corpus Christi. Ibi illi agnoverunt, exultaverunt ad alios perrexerunt: jam scientes invenerunt, narrantes quod viderant, Evangelio addiderunt. *Serm.* 234.

FE-

FERIA III. PASCHATIS.

Alleluja ita cantandum est homini Christiano in tempore, ut illud aliquando cantare mereatur in æternitate.

NOn ſine cauſa, Fratres mei, conſuetudinem antiquæ traditionis tenet Eccleſia, ut per iſtos quinquaginta dies Alleluja dicatur. Alleluja enim eſt laus Dei. Significatur ergo nobis laborantibus actio quietis noſtræ. Cùm enim poſt iſtum laborem ad illam requiem veniemus, ſolum negotium laus Dei erit, actio noſtra ibi Alleluja eſt. Quid eſt Alleluja? Laudate Deum. Quis laudet Deum ſine defectu, niſi Angeli? Non eſuriunt, non ſitiunt, non ægrotant, non moriuntur. Et nos diximus Alleluja: odor nos quidam divinæ laudis, & illius quietis attingit, ſed ex majore parte mortalitas premit. Laſſamur enim dicendo, & membra noſtra reficere volumus: & ſi diu dicatur Alleluja, oneroſa nobis eſt laus Dei, propter molem corporis noſtri. Nam plenitudo ſine ceſſatione in Alleluja, poſt hoc ſæculum & poſt laborem erit. Quid ergo, Fratres? Dicamus quantum poſſumus, ut ſemper dicere mereamur. Ibi cibus noſter Alleluja, potus Alleluja, actio quietis Alleluja, totum gaudium erit Alleluja, id eſt, laus Dei. Quis enim laudat aliquid ſine defectu, niſi qui fruitur ſine faſtidio? Quantum ergo erit robur in mente, quan-

ta immortalitas & firmitas in corpore, ut neque mentis deficiat intentio in contemplatione Dei, neque membra fuccumbant in continuatione laudis Dei? *Serm.* 252. Laudemus ergo Dominum Chariffimi, laudemus Deum, dicamus Alleluja. Significemus iftis diebus diem fine fine, fignificemus locum immortalitatis, tempus immortalitatis: feftinemus ad domum æternam. *Beati qui habitant in domo tua, in fæcula fæculorum laudabunt te.* (*Pfalm.* 83.) Lex dicit, Scriptura dicit, veritas dicit. Venturi fumus ad domum Dei, quæ eft in cœlis. Ibi non quinquaginta diebus Deum laudabimus: fed quemadmodum fcriptum eft, *in fæcula fæculorum*. Videbimus, amabimus, laudabimus. Nec quod videbimus deficiet, nec quod amabimus peribit, nec quod laudabimus tacebit: fempiternum totum erit, fine fine erit. Laudemus, laudemus; fed non folis vocibus, laudemus & moribus: laudet lingua, laudet vita. *Serm.* 254. Alleluja Latinè interpretatur, Laudate Dominum; laudemus Dominum, Fratres, vita & lingua, corde & ore, vocibus & moribus. Sic enim fibi dici vult Deus Alleluja, ut non fit in laudante difcordia. Concordent ergo prius in nobis lingua cum vita, os cum confcientia. Concordent, inquam, voces cum moribus: ne fortè bonæ voces teftimonium dicant contra malos mores. O felix Alleluja in cœlo, ubi templum Dei Angeli funt! Ibi enim concordia fumma

lau-

laudantium, ubi eſt exultatio ſecura cantantium: ubi nulla lex in membris repugnat legi mentis; ubi non eſt rixa cupiditatis, in qua periclitetur victoria charitatis. Hìc ergo cantemus Alleluja adhuc ſolliciti, ut illic poſſimus aliquando cantare ſecuri. Quare hìc ſolliciti? Non vis ut ſim ſollicitus, quando lego, *Numquid non tentatio eſt vita humana ſuper terram?* (*Job.* 7.) Non vis, ut ſim ſollicitus, quando mihi adhuc dicitur, *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem?* (*Mar.* 14.) Non vis, ut ſim ſollicitus, ubi ſic abundat tentatio, ut nobis ipſa præſcribat oratio, quando dicimus, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris?* (*Matth.* 6.) Quotidie petitores, quotidie debitores. Vis ut ſim ſecurus, ubi quotidie peto indulgentiam pro peccatis, adjutorium pro periculis? Cùm enim dixero propter præterita peccata, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: continuò propter futura pericula addo & adjungo, *Ne nos inferas in tentationem*. O felix illic Alleluja! ò ſecura! ò ſine adverſario! ubi nemo erit inimicus, nemo perit amicus. Ibi laudes Deo, & hic laudes Deo: ſed hic à ſollicitis, ibi à ſecuris; hìc à morituris, ibi à ſemper victuris; hìc in ſpe, ibi in re; hìc in via, illic in patria. Modò ergo, Fratres mei, cantemus, non ad delectationem quietis, ſed ad ſolatium laboris. Quomodo ſolent cantare viatores: canta,

sed ambula: laborem consolare cantando, pigritiam noli amare: canta, & ambula, Quid est ambula? Profice, in bono profice. Sunt enim, secundùm Apostolum, quidam proficientes in pejus. (2. *Tim.* 3.) Tu si proficis, ambulas: sed in bono profice, in recta fide profice, in bonis moribus profice: canta, & ambula. Noli errare, noli redire, noli remanere. *Serm.* 256.

Pro Festo Ascensionis.

Ascensio est glorificatio Christi & admonitio Christiani, ut Christum secuturus corpore, interim sequatur corde.

GLorificatio Domini nostri Jesu Christi resurgendo & ascendendo completa est. Resurrectionem ipsius Paschæ Dominico celebravimus: ascensionem hodie celebramus. Festus nobis dies uterque. Ideo enim resurrexit, ut nobis exemplum resurrectionis ostenderet: & ideo ascendit, ut nos desuper protegeret. *Serm.* 263. Naturæ humanæ gratulandum est, eò quod sic assumpta est à Verbo Unigenito, ut immortalis constitueretur in cœlo, atque ita fieret terra sublimis, ut incorruptiblis pulvis sederet ad dexteram Patris. Hoc enim modo se iturum dixit ad Patrem. Nam profectò ad illum ibat qui cum illo erat. Sed hoc erat ire ad eum & recedere à nobis, mutare atque immortale facere quod mortale fu-

ſcepit à nobis, & levare in cœlum per quod fuit in terra pro nobis. Quis non hinc gaudeat, qui ſic diligit Chriſtum, ut & ſuam naturam jam immortalem gratuletur in Chriſto; atque id ſe ſperet futurum eſſe per Chriſtum? *Tract.* 78. *in Joan.* Habemus ergo Dominum & Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum priùs pendentem in ligno, nunc ſedentem in cœlo. Pretium noſtrum dedit, cùm penderet in ligno: colligit quod emit, cùm ſedet in cœlo. Cùm enim omnes collegerit, quos utique per tempora colliget, in fine temporis veniet, & quomodo ſcriptum eſt, *Deus manifeſtus veniet*: (*Pſalm.* 49.) non quemadmodum primitus venit occultus, ſed ſicut dictum eſt, *manifeſtus*. Occultum enim oportebat eum venire, ut judicaretur: manifeſtus autem veniet, ut judicet. Si enim priùs manifeſtus veniſſet, judicare manifeſtum quis auderet? Quandoquidem dicit Apoſtolus Paulus, *Si enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* (1. *Cor.* 2.) Sed ſi ille non occideretur, mors non moreretur. Trophæo ſuo Diabolus victus eſt. Exultavit enim Diabolus, quando primum hominem ſeducendo dejecit in mortem. Seducendo primum hominem, occidit: occidendo noviſſimum, primum de laqueis perdidit. Facta eſt ergo victoria Domini noſtri Jeſu Chriſti, cùm reſurrexit & aſcendit in cœlum; & impletum eſt quod audiſtis, cùm Apocalypſis lege-

retur, *Vicit Leo de tribu Juda.* (*Apoc.* 5.) Ipse leo dictus est: qui agnus occisus est: Leo propter fortitudinem: agnus propter innocentiam: leo quia invictus, agnus quia mansuetus. Et ipse agnus occisus morte sua vicit leonem, qui circuit quærens quem devoret. Dictus est enim Diabolus leo, feritate, non virtute. Apostolus quippe Petrus ait, *Vigilare vos oportet adversùs tentationes, quia adversarius vester Diabolus circuit, quærens quem devoret.* (1. *Pet.* 5.) Sed homo circuit, dixit: *Sicut leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Quis non incurreret in dentes leonis hujus, nisi vicisset leo de tribu Juda? Contra leonem leo, contra lupum agnus. Exultavit Diabolus, quando mortuus est Christus, & ipsa morte Christi est Diabolus victus: tamquam in muscipula escam accepit. Gaudebat ad mortem, quasi præpositus mortis. Ad quod gaudebat, inde illi tensum est. Muscipula Diaboli, crux Domini: esca qua caperetur, mors Domini. Et ecce surrexit Dominus noster Jesus Christus. Ubi est mors quæ pependit in ligno? Ubi est insultatio Judæorum? Ubi est typhus & superbia caput ante crucem agitantium & dicentium, *Si Filius Dei est, descendat de cruce?* Et plus fecit, quàm illi insultando exigebant. Plus enim est de sepulchro resurgere, quàm de ligno descendere. Jam verò quanta gloria est quòd ascendit in cœlum? quòd sedet ad dexteram Patris?

Sed

Sed hoc oculis non videmus, quia nec pendentem in ligno vidimus. Totum hoc fide tenemus, oculis cordis intuemur. Hodie enim, ſicut audiſtis, Fratres, Dominus noſter Jeſus Chriſtus aſcendit in cœlum: aſcendat cum illo & cor noſtrum. Audiamus Apoſtolum dicentem, *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* (*Col.* 3.) Sicut enim ille aſcendit, nec receſſit à nobis: ſic & nos cum illo ibi jam ſumus, quamvis nondum in corpore noſtro factum ſit quod promittitur nobis. Ille jam exaltatus eſt ſuper cœlos. Neque enim propterea nobis eſt deſperanda perfecta & Angelica cœleſtis habitatio, quia dixit, *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo.* (*Joan.* 1.) Sed hoc dictum eſt propter unitatem, qua caput noſtrum eſt, & nos corpus ejus. Cùm aſcendit in cœlum, nos ab illo non ſeparamur. Qui de cœlo deſcendit, non nobis invidet cœlum: ſed quodammodo clamat, Membra mea eſtote, ſi aſcendere vultis in cœlum. In hoc ergo ipſi interim roboremur, in hoc votis omnibus æſtuemus. Hoc meditemur in terris, quod computamur in cœlis. Tunc exuturi carnem mortalitatis, nunc exuamus animi vetuſtatem. Facilè corpus levabitur in alta cœlorum, ſi non premat ſpiritum ſarcina peccatorum. *Serm.* 263.

DOMINICA PENTECOSTES.

Spiritus Sancti adventu Charitas nobis, pax, & unitas commendantur.

Dies nobis, Fratres, gratus illuxit, quo sancta Ecclesia fidelium fulget aspectibus, fervet in cordibus. Celebramus quippe istum diem, quo Dominus Jesus Christus post resurrectionem ascensione glorificatus misit Spiritum Sanctum. Sic enim scriptum est in Evangelio, cùm diceret, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat; qui credit in me, flumina fluent de ventre ejus aquæ vivæ:* (*Joan.* 7.) Evangelista secutus exponit, & ait, *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant hi qui in eum fuerant credituri. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus.* Restabat ergo ut clarificato Jesu, cùm resurrexit à mortuis & ascendit ad cœlos, jam daretur Spiritus Sanctus, ab eo missus, à quo promissus: sicut & factum est. Quadraginta enim Dominus post resurrectionem diebus cum discipulis suis conversatus, ascendit in cœlum, & die quinquagesimo, quem hodie celebramus, misit Spiritum Sanctum, sicut scriptum est: quia *factus est subitò sonus de cœlo, quasi ferretur flatus vehemens, & visæ sunt illis linguæ divisæ sicut ignis, qui insedit super unumquemque; & cœperunt linguis omnibus loqui, quomodo Spiritus dabat eis pronuntiare.* (*Act.* 2.)

Fla-

Flatus ille à carnali palea corda mundabat; ignis ille fœnum veteris concupiscentiæ consumebat; linguæ illæ quibus loquebantur à Spiritu Sancto impleti, per omnium gentium linguas futuram Ecclesiam præsignabant. Sicut enim post diluvium superba impietas hominum turrim contra Dominum ædificavit excelsam, quando per linguas diversas dividi meruit genus humanum, ut unaquæque gens lingua propria loqueretur, ne ab aliis intelligeretur: sic humilis fidelium pietas earum linguarum diversitatem Ecclesiæ contulit unitati, ut quod discordia dissipaverat, colligeret charitas, & humani generis tamquam unius corporis membra dispersa ad unum caput Christum compaginata redigerentur, & in sancti corporis unitatem dilectionis igne conflarentur. *Serm.* 271. Quod commune est Patri & Filio, per hoc nos voluerunt habere communionem & inter nos & secum, & per illud donum nos colligere in unum quod ambo habent unum, hoc est, per Spiritum Sanctum Deum & donum Dei. In hoc enim reconciliamur divinitati, eaque delectamur. Nam quid nobis prodesset quidquid boni nossemus, nisi etiam diligeremus? Sicut autem veritate discimus, ita charitate diligimus; ut & plenius cognoscamus, & beati cognito perfruamur. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* (*Rom.* 8.) Ad ipsum enim pertinet societas, qua efficimur unum corpus unici Filii Dei. Unde

ſcriptum eſt, *Si qua igitur exhortatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas Spiritus.* (*Philip.* 2.) Propter hanc ſocietatem illi in quos primitus venit, linguis omnium gentium ſunt locuti. Quia ſicut per linguas conſociatior eſt ſocietas generis humani: ſic oportebat per linguas omnium gentium ſignificari iſtam ſocietatem filiorum Dei & membrorum Chriſti futuram in omnibus gentibus: ut quemadmodum tunc ille apparebat accepiſſe Spiritum Sanctum, qui loquebatur linguis omnium gentium; ita ſe nunc ille agnoſcat accepiſſe Spiritum Sanctum, qui tenetur vinculo pacis Eccleſiæ, quæ diffunditur in omnibus gentibus. Unde dicit Apoſtolus, *Studentes ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis.* (*Eph.* 4.) *Serm.* 71. Ab hoc itaque dono Spiritus Sancti prorſus alieni ſunt, qui oderunt gratiam pacis, qui ſocietatem non retinent unitatis. Licèt enim etiam ipſi hodie ſolemniter congregentur; licèt iſtas audiant lectiones, quibus Spiritus Sanctus eſt promiſſus & miſſus, ad judicium audiunt, non ad præmium. Quid enim eis prodeſt percipere auribus, quod cordibus reſpuunt; & ejus diem celebrare, cujus lumen oderunt? *Serm.* 271.

FE-

FERIA II. PENTECOSTES.

Spiritus Sanctus quanta prodigia in eis, super quos venit, ſit operatus.

C*Um autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me: & vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Quid hoc pertinet ad illud quod dixerat, *Nunc autem & viderunt, & oderunt & me & Patrem meum: ſed ut impleatur ſermo qui in Lege eorum ſcriptus eſt, quia odio habuerunt me gratis?* An quia Paraclitus quando venit Spiritus veritatis, eos qui viderunt & oderunt, teſtimonio manifeſtiore convicit? Immo verò etiam aliquos ex illis qui viderunt, & adhuc oderant, ad fidem quæ per dilectionem operatur, ſui manifeſtatione convertit. Hoc ut ita intelligamus, ita factum eſſe recolimus. Venit enim die Pentecoſtes Spiritus Sanctus in centum viginti homines congregatos, in quibus & Apoſtoli omnes erant, qui illo adimpleti cùm linguis omnium gentium loquerentur, plures ex his, qui oderant, tanto miraculo ſtupefacti, (quandoquidem viderunt loquente Petro tam magnum atque divinum teſtimonium perhiberi de Chriſto, ut ille qui occiſus ab eis inter mortuos deputabatur, reſurrexiſſe & vivere probaretur) compuncti corde converſi ſunt, & tanti ſanguinis tam impiè atque immaniter fuſi

indulgentiam perceperunt, ipſo redempti ſanguine quem fuderunt. Chriſti enim ſanguis ſic in remiſſionem peccatorum omnium fuſus eſt, ut ipſum etiam peccatum poſſet delere quo fuſus eſt. Hoc ergo intuens Dominus dicebat, *Odio habuerunt me gratis: cùm autem venerit Paraclitus, ille teſtimonium perhibebit de me*, tamquam diceret, Odio me habuerunt, & occiderunt videntes: ſed tale de me Paraclitus teſtimonium perhibebit, ut eos faciat in me credere non videntes. *Et vos*, inquit, *teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis*. Perhibebit Spiritus Sanctus, perhibebitis & vos. Quia enim ab initio mecum eſtis, poteſtis prædicare quod noſtis: quod ut modò non faciatis, illius Spiritus plenitudo nondum adeſt vobis. *Ille ergo teſtimonium perhibebit de me, & vos perhibebitis:* dabit enim vobis fiduciam teſtimonium perhibendi charitas Dei diffuſa in cordibus veſtris per Spiritum Sanctum qui dabitur vobis. (*Rom.* 5.) Quæ utique Petro adhuc defuit, quando mulieris ancillæ interrogatione perterritus, non potuit verum teſtimonium perhibere; ſed contra ſuam pollicitationem timore magno compulſus eſt ter negare. Timor autem iſte non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem. (1. *Joan.* 1.) Denique ante paſſionem Domini, ſervilis timor ejus interrogatus eſt à fœmina ſervitutis; poſt reſurrectionem verò Domini liberalis ejus amor ab ipſo principe libertatis: (*Joan.* 21.) &

ideo

ideò ibi turbabatur, hìc tranquillabatur; ibi quem dilexerat negabat, hìc quem negaverat diligebat. Sed adhuc etiam tunc amor ipſe infirmus fuerat & anguſtus, donec eum roboraret & dilataret Spiritus Sanctus. Qui poſteaquàm illi eſt abundantia gratiæ largioris infuſus, ſic ad perhibendum de Chriſto teſtimonium quondam ejus frigidum pectus accendit, atque illa priùs trepida quæ veritatem ſuppreſſerant, ora reſeravit, ut cùm omnes, in quos venerat Spiritus Sanctus, linguis omnium gentium loquerentur, Judæorum circumſtantibus turbis, ſolus ad teſtimonium de Chriſto perhibendum præ cæteris promptiùs emicaret, ejuſque interfectores de illius reſurrectione confunderet. Si quem delectat tam ſuaviter ſanctum tale ſpectaculum intueri, Actus Apoſtolorum legat: ibi beatum Petrum, quem negantem doluerat, ſtupéat prædicantem: ibi linguam illam videat ad fiduciam à diffidentia, & ad libertatem à ſervitute translatam, tot linguas inimicorum convertere ad Chriſti confeſſionem, quarum non valendo unam ferre, verſa fuerat in negationem. Quid plura? Tantus in illo fulgor gratiæ, tanta Spiritus Sancti plenitudo apparebat, tanta de ore prædicantis pretioſiſſimæ veritatis pondera procedebant, ut ingentis multitudinis adverſarios interfectores Chriſti Judæos faceret ore illo paratos mori, à quibus cum illo formidabat occidi. Hoc fecit Spiritus Sanctus tunc miſſus, antè promiſſus. Iſta Do-

minus magna atque miranda sua beneficia prævidebat, quando dicebat, *Et viderunt, & oderunt & me & Patrem meum, ut adimpleatur sermo, qui in Lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis: cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis.* Ille quippe testimonium perhibens, & testes fortissimos faciens, abstulit Christi amicis timorem, & inimicorum odium convertit in amorem. *Tract. 92. in Joan.*

FERIA III. PENTECOSTES.

Spiritus Sancti adjutorium quantùm homini Christiano sit necessarium, & implorandum.

SI *autem spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis.* (*Rom.* 8.) Hoc est opus nostrum in hac vita, actiones carnis spiritu mortificare; quotidie affligere, minuere, frœnare, interimere. Quàm multa enim proficientes jam non delectant, quæ antea delectabant. Quando ergo delectabat, & non ei consentiebatur, mortificabatur: quia jam non delectat, mortificatum est. Calca mortuum, transi ad vivum: Calca jacentem, confflige cum resistente. Mortua est enim delectatio una, sed vivit altera: & illam, dum non consentis, mortificas; cùm cœperit omnino non delectare, mortificasti. Hæc est actio nostra, hæc est militia nostra. In hoc agone

ne cùm confligimus, Deum habemus spectatorem: in hoc agone cùm laboramus, Deum poscimus adjutorem. Si enim nos ipse non adjuvat, non dico vincere, sed nec pugnare poterimus. Cùm ergo dixisset Apostolus, *Si autem spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis*: id est, illas concupiscentias carnis, quibus non consentire magna laus est, quas non habere perfectio est: si has actiones carnis morbidas, & de morte habentes contentionem, spiritu mortificaveritis, vivetis. Hic jam metuendum est, ne quisquam rursus ad mortificandas actiones carnis de spiritu suo præsumat. Non solùm enim Deus spiritus est: sed & anima tua spiritus est, & mens tua spiritus est. Et cùm dicis, *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati*: (Rom. 7.) quia *spiritus concupiscit adversùs carnem, & caro adversùs spiritum*. (*Gal.* 5.) Ergo ne ad carnis actiones mortificandas de spiritu tuo præsumas, & superbia pereas, & tibi superbo resistatur, non humili gratia concedatur: *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*: (*Jac.* 4.) ne fortè ergo suboriretur tibi ista superbia, vide quid sequatur. Cùm enim dixisset, *Si spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis*: nè hic se extolleret humanus spiritus, & ad hoc opus se idoneum firmumque jactaret, subjecit, & ait, *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei*. Quid te ergo jam volebas extollere, ubi audisti, *Si spiritu actiones carnis mortifica-*

veritis, vivetis? Dicturus enim eras, Hoc potest voluntas mea, hoc potest liberum arbitrium meum. Quæ voluntas? quod liberum arbitrium? Nisi ille regat, cadis: nisi ille erigat, jaces. Quomodo ergo spiritu tuo, cùm audias Apostolum dicentem, *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei?* Tu te vis agere, à te ipso vis agi ad actiones carnis mortificandas? Quid tibi prodest quia non eris Epicureus, & eris Stoicus? Sive Epicureus eris, sive Stoicus eris, inter Filios Dei non eris. *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei.* Non qui secundùm carnem suam vivunt, non qui secundùm spiritum suum vivunt; non qui carnis voluptate ducuntur, non qui spirtu suo aguntur, sed *quotquot Spiritu Dei aguntur, hi Filii sunt Dei.* Dicit mihi aliquis, Ergo agimur, non agimus: Respondeo, Immò & agis, & ageris; & tunc bene agis, si à bono agaris. Spiritus enim Dei qui te agit, agenti adjutor est tibi. Ipsum nomen adjutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis. Agnosce quid poscas: agnosce quid confitearis, quando dicis, *Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* (*Ps.* 26.) Adjutorem utique invocas Deum. Nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur. *Quotquot enim*, inquit, *Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei*: non littera, sed Spiritu: non Lege præcipiente, minante, promittente; sed Spiritu exhortante, illuminante, adjuvante. *Scimus*, inquit idem Apostolus, *quia diligentibus Deum*

omnia cooperantur in bonum, (*Rom.* 8.) Si non esses operator, ille non esset cooperator, *Serm.* 156.

PRO FESTO SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

In Mysterio ineffabili sanctissimæ Trinitatis, Unum Deum, tres Personas credat & adoret homo Christianus.

Dicimus Patrem Deum & Filium Deum, nec tamen dicimus duos Deos. Nefas est enim dicere duos deos, nefas est dicere tres deos: & tamen qui Pater est, non est Filius; qui Filius est, non est Pater: Spiritus autem Sanctus Patris & Filii Spiritus, nec Pater est nec Filius. Quamvis ergo, sicut aures catholicæ sunt eruditæ in gremio matris Ecclesiæ, nec ille qui est Pater sit Filius, nec ille qui est Filius sit Pater, nec Spiritus Sanctus Patris & Filii sit vel Filius vel Pater, tres deos tamen esse non dicimus: quamvis de singulis si quæratur, necesse est de quocumque interrogati fuerimus, Deum esse fateamur. Et absurda ista videntur hominibus solita trahentibus ad insolita, visibilia ad invisibilia, creaturam comparantibus Creatori. Interrogant enim nos aliquando infideles & dicunt, Patrem quem dicitis, Deum dicitis? Respondemus, Deum. Filium quem dicitis, Deum dicitis? Respondemus, Deum. Spiritum Sanctum quem dicitis, Deum dici-

dicitis? Respondemus, Deum. Ergo, inquiunt, Pater & Filius & Spiritus Sanctus tres sunt dii? Respondemus, Non. Turbantur, quia non illuminantur: cor clausum habent, quia clavim fidei non habent. Nos ergo, Fratres, fide præcedente, quæ sanat oculum cordis nostri, quod intelligimus, sine obscuritate capiamus; quod non intelligimus, sine dubitatione credamus: à fundamento fidei non recedamus, ut ad culmen perfectionis veniamus. Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus Sanctus: & tamen Pater non est qui Filius, nec Filius est qui Pater, nec Spiritus Sanctus Patris & Filii Spiritus aut Pater est aut Filius. Trinitas unus Deus: Trinitas, una æternitas, una potestas, una majestas: tres, sed non dii. Non mihi calumniator respondeat, Quid ergo tres? Si enim tres, ait, oportet dicas quid tres. Respondeo. Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Ecce, inquit, tres dixisti; sed quid tres exprime. Immo tu numera: nam ego compleo tres, cùm dico Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Id enim quod Pater ad se est, Deus est; quod ad Filium est, Pater est: quod Filius ad seipsum est, Deus est; quod ad Patrem est, Filius est. Ista quæ dico potestis de similitudinibus agnoscere quotidianis. Homo & alter homo, si ille sit pater, ille filius; quod homo est, ad seipsum est;

quod

quod pater eſt, ad filium eſt: & filius quod homo eſt, ad ſeipſum eſt; quod autem filius eſt, ad patrem eſt. Pater enim nomen eſt dictum ad aliquid, & filius ad aliquid: ſed iſti duo homines ſunt. At verò Pater Deus ad aliquid eſt Pater, id eſt, ad Filium; & Filius Deus ad aliquid eſt Filius, id eſt, ad Patrem: ſed non quomodo illi duo homines ſunt, ſic iſti duo dii. Quare hoc non ita eſt ibi? Quia illud aliud, hoc autem aliud eſt: quia illa divinitas eſt. Eſt ibi aliquid ineffabile, quod verbis explicari non poſſit, ut, & numerus ſit, & numerus non ſit. Videte enim ſi non quaſi numerus apparet, Pater & Filius & Spiritus Sanctus Trinitas. Si tres, quid tres? Deficit numerus. Ita Deus nec recedit à numero, nec capitur numero. Quia tres ſunt, tamquam eſt numerus: ſi quæris quid tres, non eſt numerus. Unde dictum eſt: *Magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus, & ſapientiæ ejus non eſt numerus*, (*Pſal.* 14.) Ubi cogitare cœperis, incipis numerare: ubi numeraveris, quid numeraveris, non potes reſpondere. Pater, Pater eſt; Filius, Filius eſt; Spiritus Sanctus, Spiritus Sanctus eſt: quid ſunt iſti tres, Pater & Filius & Spiritus Sanctus? Non tres dii? non. Non tres omnipotentes? non. Non tres mundi creatores? non. Ergo omnipotens Pater? omnipotens planè. Ergo, & Filius

non

non omnipotens ? planè & Filius omnipotens. Ergo & Spiritus Sanctus non omnipotens ? & ipse omnipotens. Tres ergo omnipotentes ? non, sed unus omnipotens. Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt. Quia enim Deus Pater ad se est Deus simul cum Filio & Spiritu Sancto, non sunt tres dii; quia ad se est omnipotens simul cum Filio & Spiritu Sancto, non sunt tres omnipotentes: quia verò non ad se est Pater, sed ad Filium; nec Filius ad se est, sed ad Patrem; nec Spiritus ad se, in eo quod dicitur Spiritus Patris & Filii; non est quid dicam tres, nisi Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unum Deum, unum Omnipotentem, *Tract. 39. in Joan.*

PRO FESTO SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI.

Admiretur Homo Christianus erga nos amorem, qui in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento convivas suos pascit seipso: nobisque in illo charitatem, pacem, & unitatem commendat.

PAnis ille quem videtis in Altari, sanctificatus per verbum Dei, corpus est Christi. Calix ille, immò quod habet calix, sanctificatum per verbum Dei, sanguis

guis est Christi. Per ista voluit Dominus Christus commendare corpus & sanguinem suum, quem pro nobis fudit in remissionem peccatorum, *Sermon.* 227. Ecce epulæ præparatæ sunt: seipsum commendans ait: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*, (*Joan.* 6.) Cibus est qui reficit, nec deficit: cibus est qui insumitur, & non consumitur: cibus est qui esurientes satiat, & integer manet, *Sermon.* 28. Mensa magna est, ubi epulæ sunt ipse Dominus mensæ. Nemo pascit convivas de seipso: hoc facit Dominus Christus; ipse invitator, ipse cibus & potus, *Sermon.* 329. Ad nuptias Christi Pater sponsi primùm invitavit populum Judæorum. Sed quid ait Evangelium? *Qui invitati erant, non fuerunt digni*, (*Matth.* 22.) Invitata est posteà universarum Gentium multitudo, ipsa implevit Ecclesiam, ipsa accepit de mensa Dominica non viles epulas, aut ignobiles potus, sed ipsius Pastoris, ipsius occisi Christi carnem prælibavit & sanguinem. Occisus est ad nuptias suas ipse innocens agnus, occisus est ad nuptias; & quoscumque invitavit, de carne sua pavit, *Serm.* 372. Acceditis ad mensam potentis: nostis fideles ad quam mensam acceditis: recolite Scripturam dicentem: *Cùm accedis ad mensam potentis, scito quoniam oportet te talia præparare*, (*Proverb.* 23.) Ad quam mensam potentis accedis? Qui tibi exhibet seipsum, non mensam

coquo-

coquorum arte conditam: exhibet tibi Christus suam mensam, scilicet, semetipsum. Accede ad hanc mensam, & saturare. Esto pauper, & saturaberis: *Edent pauperes, & saturabuntur*, (*Psalm.* 21.) *Scito quoniam talia te oportet præparare*. Ut intelligas, Joannem expositorem attende. Fortè enim nesciebas quid sit: *Cùm accedis ad mensam potentis, scito quoniam talia te oportet præparare*. Audi expositorem: *Sicut Christus animam suam pro nobis posuit, sic & nos debemus* talia præparare, (1. *Joan.* 3.) Quid est talia præparare? *animas pro fratribus ponere*. Ut saturareris, pauper accessisti: unde talia præparabis? Ab ipso qui te invitavit pete, ut habeas unde illum pascas. Nisi ipse tibi dederit, nihil habebis. Sed habes jam aliquid charitatis? Nec hoc tibi imputes: *Quid enim habes, quod non accepisti?* (1. *Cor.* 4.) Habes jam aliquid charitatis? Pete ut augeat, pete ut perficiat, quousque pervenias ad illam mensam, qua major in hac vita non est: *Majorem hac charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis*, (*Joan.* 15.) Accessisti pauper, recedis dives: immò non recedis, sed manendo dives eris, *Serm.* 332. Manducent ergo qui manducant, & bibant qui bibunt; esuriant & sitiant: vitam manducent, vitam bibant. Illud manducare, refici est: sed sic reficeris, ut non deficiat unde reficeris. Illud bibere quid est, nisi vivere? Manduca vitam, bi-

be

be vitam: habebis vitam, & integra eſt vita. Tunc autem hoc erit, ideſt, vita unicuique erit corpus & ſanguis Chriſti, ſi quod in Sacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritaliter manducetur, ſpiritaliter bibatur, *Serm.* 131. Iſta, Fratres; ideò dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, ſpeciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet ſpiritalem. Corpus ergo Chriſti ſi vis intelligere, Apoſtolum audi dicentem fidelibus: *Vos autem eſtis corpus Chriſti & membra*, (1. *Cor.* 12.) Si ergo vos eſtis corpus Chriſti & membra, myſterium veſtrum in menſa Dominica poſitum eſt: myſterium veſtrum accipitis. Quare ergo in pane? Nihil hìc de noſtro afferamus, ipſum Apoſtolum identidem audiamus, qui cùm de iſto Sacramento loqueretur, ait: *Unus panis, unum corpus multi ſumus*; (1. *Cor.* 10.) Intelligite & gaudete; unitas, veritas, pietas, charitas: *Unus panis*: quis eſt iſte unus panis? *Unum corpus multi*. Recolite quia panis non fit de uno grano, ſed de multis. Quando exorcizabamini, quaſi molebamini. Quando baptizati eſtis, quaſi conſperſi eſtis. Quando Spiritus Sancti ignem accepiſtis, quaſi cocti eſtis. Eſtote quod videtis, & accipite quod eſtis. Hoc Apoſtolus de pane dixit. Jam de calice quid intelligeremus, etiam non dictum, ſatis oſtendit. Sicut enim, ut ſit ſpecies viſibilis panis, multa grana in unum conſperguntur, tam-

quam

quam illud fiat, quod de fidelibus ait Scriptura ſancta: *Erat illis anima una, & cor unum in Deum*: (*Act.* 4.) ſic & de vino. Fratres, recolite unde fit vinum. Grana multa pendent ad botrum, ſed liquor granorum in unitate confunditur. Ita & Dominus Chriſtus nos ſignificavit, nos ad ſe pertinere voluit, myſterium pacis & unitatis noſtræ in ſua menſa conſecravit. Qui accipit myſterium unitatis, & non tenet vinculum pacis, non myſterium accipit pro ſe, ſed teſtimonium contra ſe. *Serm.* 272.

FINIS.

TA-

TABULA TITULORUM

Hujus Quinti Tomi.

PRO FESTIS IMMOBILIBUS.

Pro Festo Circumcisionis.

Pro

PRO ADVENTU

Et ſubſequentibus Feſtis Natalitiis.

Dominica Prima Adventus.

PRO QUADRAGESIMA

Et subsequentibus Festis Mobilibus.

Feria Quarta Cinerum.

Do-

INDEX MATERIARUM.

A

Car-

B

C

Chri-

peccata. Fer. 3. Dom. 1. Adv. saanat quod traximus ex Eva. In Fest. Nativ. M. V. nos reconciliat Deo. Fer. 2. Dom. 3. Adv. nos Adoptavit in filios. Aug. 6. nos invitat ad requiem. Novemb. 7. nos invitat ad mensam Angelorum. Fer. 6. Dom. 1. Quad. & ad vitam æternam, ibid. vicit Orbem terrarum. In Fest. Exal. S. Crucis, regnavit à ligno, ibid. portavit peccata. Aug. 7. humiliatus pro nobis. In Fest. S. Jac. Apost. orat pro nobis, & docet nos orare. Sept. 17. oravit pro inimicis. Aug. 24. nos dilexit. August. 23. Nov. 3. & 24. pro impiis mortuus. Sept. 2. humiles quærit. In Fest. Purif. in persona pauperum eget. Maij 23. Jul. 26. 27. 29. Dom. 1. Quad. quando dormit in nobis. Oct. 22. manifestatur his qui propè, & his qui longè. In Fest. Epiph. pro Apostolis vocavit Piscatores non Senatores. In Fest. S. Andreæ, inter Apostolos. In Fest. SS. Philip. & Jacob. oblatus est pro nobis. Aug. 8. passus à Judæis. Fer. 6. Dominica Passion. passus pro nobis. Jan. 10. Febr. 16. August. 31. in Festivit. S. Laur. Fer. 2. Dominica 3. Quadragesim. Unde potest mori. Aug. 2. petit ut transeat Calix ab ipso. Jun. 22. lavat pedes discipulorum, instituit Sacramentum Eucharistiæ. Fer. 4. Dominica 3. Quadragesimæ Feria 5. Dominica 3. Quadragesimæ, acceptat prompta voluntate calicem passionis Feria 2. Dominica 4. Quadragesimæ, turbatur. Sab. Dominica 3. Quadragesimæ, comprehenditur; & ligatur. Fer. 4. Dom. 4. Quadrag. Alapa percutitur. Fer. 5. Dominica 4. Quadr. à Petro ter negatur. Fer. 6. Dominica 4. Quadrag. ducitur ad Pilatum. Dom. Pass. dicitur malefactor. Dom. Pass. posponitur Barabbæ. Dominica Pass.

fla-

San-

Crea-

possidetur dum amatur. Nov. 26. humilia respicit. Jun. 27. & Nov. 26. descendit ut ascenderemus. Fer. 6. Dom. 2. Adv. quanta sustinuit pro nobis. Fer. 3. Dom. 4. Adv. petit cor nostrum. Nov. 19. dum flagellat est Pater. Dec. 8. vult misereri. Apr. 4. dimisit debita nostra. Jun. 7. accepit à nobis nasci & mori: dedit nobis resurgere & ascendere in Cœlum. Fer. 3. Dom. 4. Adv. ad hoc nos vocat ut non simus homines. In Fest. S. Joan. operatur omnia in nobis. Jun. 30. semper videt nos. Mart. 9. petit temporalia. Sept. 6. promittit vitam æternam. Jan. 12. & 14. promittit præmium & minatur pœnam. Mart. 25. descendit ad nos ut fieret nobis proximus. Fer. 2. Dom. 4. Adv. suscepit pœnam ut levaret culpam, ibid. factus est homo ut sequeretur ab hominibus. Sab. Dom. 4. Adv. factus est nobis via ut redeamus ad ipsum. Domin. 4. Adv. nos prævenit ad mortem. Jun. 5. solus sufficit animæ, & solus facit Beatos. Jan. 29. hæreditas nostra, ibid. miseretur nostri & nos debemus miserere proximis. Jul. 25. est medicus sanans & Pater erudiens. Jun. 20. non sævit ut perdat. Jun. 21. solus in oratione petendus. Sept. 16. 17. in ipso semper sperandum. Mart. 15. prior dilexit nos. Nov. 24. 25. semper nos amat. Feb. 2. non est referendus ad alium. Jun. 30. semper quærendus. Jun. 29. semper præponendus in amore. Jan. 5. Jul. 15. & Nov. 17. est superior anima. Jan. 26. 28. est locus in quo habitant Beati. Decem. 28. amandus quia bonus. Nov. 22. tamquam Deus. Jul. 2. gratis. Nov. 22. 23. 28. ex toto corde. Nov. 10. 13. 15. 18. cum proximo. Jul. 1. es in proximis. Jul. 13. semper benedicendus. Jan. 11. in Ecclesiis Jun. 9. in

Emma-

Ge-

I

In-

L

Fi-

M

Mise-

N

Ne-

P

Q

Dile-

R

Sa-

S

T

Bea-

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ.

EX GENESI.

EX EXODO.

EX LEVITICO.

Cap. 19. Diliges proximum tuum tamquam teipſum, Jun. 31. Aug. 23.
Cap. 26. Ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi plebs, Dec. 16. 26.

EX DEUTERONOMIO.

Cap. 6. Audi Iſrael mandata Dei Dominus Deus tuus unus eſt, Oct. 10.

EX LIB. II. REGUM.

Cap. 7. Quoniam inveni Domine cor meum, ut orarem ad te, Sept. 9.

EX LIB. JOB.

Cap. 1. Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum, Jan. 6. 9. Jun. 18. 22. Sept. 1.
Nudus exivi de utero matris meæ, nudus revertar in terram. Dominus dedit, &c. Febr. 12.
Cap. 7. Numquid non tentatio eſt vita hominis ſuper terram? Tamquam ſervus fugiens Dominum ſuum & conſecutus umbram, Apr. 30. & Dec. 18. & Fer. 3. Paſchæ.

EX LIB. PSALMORUM.

1. Non reſurgent impii in judicio, Oct. 19.
2. Servite Domino in timore, & exultate ei in tremore, Febr. 13. Jun. 30.
Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli conteres eos, Mart. 22.

Dominus dixit ad me, filius meus es tu, Ego hodie genui te, postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, Aug. 6. Oct. 19. Decemb. 27.

3. Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua, Oct. 27.

4. Filii hominum usquequò gravi corde ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Irascimini, & nolite peccare, Apr. 13. Sept. 28.

Sacrificate sacrificium justitiæ, Apr. 22.

Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini? Sept. 8.

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, Oct. 3.

Magnificavit Dominus sanctum suum, Fer. 6. Dom. 1. Quadr.

5. Gloria mea & exaltans caput meum, Jan. 29.

Odisti omnes qui operantur iniquitatem, Novemb. 24.

Manè astabo tibi, & contemplabor, Dec. 14. 22. Fer. 2. Dom. 2. Adv.

6. Turbatus est præ ira oculus meus, inveteravi in omnibus inimicis meis, Sept. 28.

Et tu Domine usquequò convertere Domine, & erue animam meam, Nov. 12.

7. Consummetur nequitia peccatorum, Mar. 11.

Judica me Domine secundùm justitiam meam. Jun. 14.

Domine si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala, Sept. 19.

8. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. In Festo SS. Innoc.

9. Irritavit Dominum peccator, Mart. 15. Apr. 13.

Spiritus enim spirabit, & sub alis ejus sperabis, Jun. 24.

Et sperent in te qui cognoscunt nomen tuum, Octob. 25.

Factus

Factus est Dominus refugium pauperum, In Fest. SS. Apostolorum Petri & Pauli.
10. Dominus interrogat justum & impium, Maji 23.
Qui diligit iniquitatem odit animam suam, Jul. 2. 3. Novem. 16. 18. 19.
13. Dixit stultus in corde suo non est Deus, Mart. 15.
Dominum non invocaverunt, Sept. 2.
Dominus pars hæreditatis meæ, Sept. 17.
14. Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus, Dom. Trinitatis.
15. Delectationes in dextera tua usque in finem, Implebis me lætitia cum vultu tuo, ut contempler delectationem Domini, Jan. 19. Decemb. 2.
Dominus pars hæreditatis meæ, Jan. 2. Aug. 1. & 6. Oct. 19. Decemb. 27.
Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges, Apr. 27. Jun. 26.
Benedicam Dominum, Sept. 3.
Dominum non invocaverunt, Sept. 17.
16. Satiabo cùm aparuerit gloria tua, Jun. 29.
Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras, Jul. 8. Novemb. 8. 9.
17. Et in Deo meo trasgrediar murum, Aug. 7.
Clamaverunt nec erat qui salvos faceret ad Dominum, nec exaudivit eos, Sept. 17.
Diligam te Domine virtus mea, Oct. 20.
Dilatasti gressus meos subter me, Novem. 25.
18. Nec est qui se abscondat à calore ejus, Mart. 21. Apr. 8.
Timor Domini castus, permanens in sæculum sæculi, Apr. 24.
Delicta quis intelligit? Maji 22.
Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo, Sept. 2.

Cre-

Credo videre bona Domini in terra viventium, Dec. 6. 13.
Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas, In Fest. Inven. S. Crucis.
Adjutor meus esto Domine nè derelinquas me, Fer. 3. Pentecostes.
28. Afferte Domino filios Arietum, Sept. 28. & in Fest. S. Bartholomæi.
29. Domine Deus meus in æternum confitebor tibi, Apr. 20.
Convertisti luctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & cinxisti me lætitia, ut cantet tibi gloria mea, & non compungar, Apr. 24. & Fer. 6. Dom. 2. Quadr.
Non movebor in æternum, Fer. 6. Dom. 4. Quadr.
30. Diligite Dominum omnes Sancti ejus, Jan. 8.
Odisti observantes vanitatem supervacuè, Febr. 1.
Exultabo & jucundabor in tua misericordia, quia respexisti humilitatem meam, salvam fecisti de necessitatibus animam meam, Febr. 2.
Accelera ut eximas me. Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii, ut salvum me facias, Apr. 15.
Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, Mart. 11.
Delectare in domino, Jun. 24.
Abscondes in abscondito vultus tui, Decem. 28.
In te Domine speravi, dixi, tu es Deus meus, In manibus sortes meæ, In Fest. S. Mathiæ.
31. Lætamini in Domino, Jan. 2.
Et exultate justi, Febr. 22.
Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, Jun. 6.
Conversus sum in ærumna mea, cùm configeretur spina, peccatum meum cognovi, & iniquitatem meam non operui.

Re-

Retribuebant mihi mala pro bonis, Dom. Paſſ.
35. Apud te eſt fons vitæ, Januar. 18. Maij 27.
Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo, Mart. 9.
Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te, & juſtitiam tuam his qui recto ſunt corde, Jun. 23.
Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in mine tuo videbimus lumen, Decem. 29.
Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente delitiarum tuarum potabis eos, In Feſt. S. Mich.
36. Adhuc puſillum & non erit peccator; ſuſtinentes autem Dominum ipſi hæreditate poſſidebunt terram, Febr. 3.
Non confundetur in tempore malo, Febr. 3.
Mites hæreditate poſſidebunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis, Jan. 18. Decem. 29.
Juſtus autem miſeretur, & commodat, Jul. 31.
Deus convertens vivificabis nos, & plebs tua lætabitur in te, Oct. 25.
Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, Novem. 28.
Subditus eſto Domino, & obſecra eum, Decem. 9.
Confirmat juſtos Dominus, Fer. 4. Domin. Paſſ.
A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet. Sab. Dom. Paſſ.
37. Iniquitatem meam ego pronuncio, & curam geram pro peccato meo, Apr. 26.
Ante te omne deſiderium meum, Oct. 29.
Deſeruit me fortitudo mea, & lumen oculorum meorum non eſt mecum, Novem. 18.
Ego autem velut ſurdus non audiebam, & ſi-

cut

Spe-

Speciosus forma præ filiis hominum, Fer. 6. Domin. 1. Quadr. & Fer. 3. Dominica 2. Quadr.
Intende & prospere procede & regna propter veritatem, & mansuetudinem & justitiam, Fer. 5. Dom. 4. Quadr.
45. Adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis, Mart. 6.
Deus noster refugium & virtus, Jun. 28.
Vacate & videte quoniam ego sum Deus, Oct. 20. & in Fest. S. Mar. Magd.
47. Magnus Dominus, & laudabilis valdè in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus, Sept. 3.
48. Sepulcra eorum domus eorum in æternum Tabernacula eorum in generat.onem & generationem. Invocabunt nomina eorum in terris ipsorum, Maij 16.
Homo in honore positus non intellexit, comparatus est pecoribus insensatis & similis factus est illis, Jun. 3.
49. Suspicatus es iniquitatem quod ero tui similis, Mart. 16.
Hæc fecisti, & tacui suspicatus es iniquitatem quod ero tui similis, Apr. 16.
Arguam te, & statuam te ante faciem tuam, Apr. 26.
Deus manifestus veniet, Maij 21.
Ignis in conspectu ejus ardebit, Maij 29.
Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Sept. 1.
Imola Deo sacrificium laudis. Peccatori autem dixit Deus, ut quid tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum, Sept. 3.
Sacrificium laudis honorificabit me. Novem. 22.
Deus Deus tuus ego sum, Decem. 26.
Deus manifestus veniet, Deus noster & non sile-

De-

Deduc me Domine in via tua, & ambulabo in veritate tua, Fer. 3. Dominica 3. Quadragef.
Filii hominum, dentes eorum arma & fagittæ, & lingua eorum machæra acuta, Dom. Paff.
57. Supercecidit ignis & non viderunt folem, Mart. 19.
58. Non miferearis omnium qui operantur iniquitatem, Apr. 14.
Deus meus, mifericordia ejus præveniet me, Apr. 20.
Adjutor meus tibi pfallam, quia tu Deus fufceptor meus, Apr. 25.
Mifericordia ejus præveniet me, Jun. 13. In Feft. S. Mathiæ Apoft.
Erue me ab inimicis meis Deus meus, & ab infurgentibus fuper me libera me, Sept. 19. & in Feft. S. Barthol.
Fortitudinem meam ad te cuftodiam, Nov. 18.
60. Deduxifti me: quia factus es fpes mea, Aug. 13.
Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meæ: à finibus terræ ad te clamavi, dum angeretur cor meum, Aug. 21.
62. Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo levabo manus meas, Sept. 4.
Adglutinata eft anima mea poft te, Novem. 4.
Sitivit tibi anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea, In Feft. S. Mich.
Sic in Sancto apparui tibi!, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam, Fer. 4. Dom. 2. Adven.
63. Jucundabitur juftus in Domino, & fperabit in eo, Jan. 3.
Laudabuntur omnes recti corde. Januar. 7.

Ju-

Sustinui qui simul contristaretur & non fuit, & consolantes, & non inveni. In Comme. Defun.
Opprobrium expectavit cor meum, & miseriam, Fer. 3. Dom. 4. Adv.
70. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnificentiam tuam, Jun. 7.
In te speravi Domine non confundar in æternum, in justitia tua erue me, & exime me. Jun. 14.
Deus in te speravi, Domine, non confundar in æternum, Fer. 3. Dom. 1. Adv.
71. Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient illi, In Fest. Exalta. S. Crucis.
Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam, In Fest. S. Joan. Evang.
Mihi autem adhærere Deo bonum est, Jan. 21. Febr. 25. Jun. 17. 25. Oct. 26. Nov. 16. 22.
Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt divitias. Numquid sine causa justificavi cor meum, aut lavi inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die, Febr. 15.
Quàm bonus Israel Deus rectis corde, Apr. 21. Sept. 24.
Quid enim mihi est in Cœlo, & à te quid volui super terram? Novem. 23.
Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria assumpsisti me, In Fest. Assumpt. Mariæ Virg.
74. Quoniam neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montium: quoniam Deus judex est, Mart. 9. Sept. 8.
Confitebimur tibi Deus, confitebimur, & invocabimus nomen tuum, Apr. 18.

ſæculorum laudabunt te, Septem. 27. Decem. 10. 12. 14. 15. 16. 23. 25. 30. & Fer. 3. Paſſ.
Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, Oct. 30.
Aſcenſiones in corde ejus diſpoſuit in convalle plorationis, in locum quem diſpoſuit, Fer. 2. Dom. 2. Quadr.
84. Veritas de terra orta eſt, Apr. 17. & in Nativ. Domini.
Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis, In Feſt. Purif. M. V.
Veritas de terra orta eſt, & juſtitia de cœlo proſpexit, Fer. 3. Dom. 4. Adv.
85. In die tribulationis meæ clamavi ad te, Jan. 19.
Lætifica animam ſervi tui, quoniam ad te Domine levavi animam meam, Febr. 28.
Miſericors, & miſerator Dominus longanimis & multum miſericors, & verax, Mart. 16. & 17. & Fer. 4. Dom. Palm.
Jucunda animam ſervi tui, quoniam ad te levavi animam meam, quoniam tu ſuavis & mitis es, Sept. 9.
Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me, Sept. 11.
Et multum miſericors es omnibus invocantibus te, Sept. 15.
In die tribulationis meæ clamavi ad te, quoniam exaudiſti me, Decem. 2.
86. Tamquam jucundatorum omnium habitatio in te, Decem. 12.
Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei, In Feſt. S. Mich.
Mater Sion dicet homo, & homo factus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus, In Feſt. Concept. Mariæ.
87. Inter mortuos liber, Maij 3.

89. Do-

99. Intrate in portas ejus in confessione, Apr. 20.
100. Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine, Mart. 12. Maij 23.
101. Et anni tui non deficient, Decem. 14.
102. Qui coronat te in miseratione & misericordia, Jun. 7. 14.
Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis qui sanat omnes languores tuos, Jun. 20.
Qui satiat in bonis desiderium tuum. Jun. 25.
Et memoria retinentibus mandata ejus, ut faciant ea, Sept. 18.
Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitius fit in omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos, Oct. 9.
103. Draco hic quem formasti ad illudendum ei, Mart. 26.
104. Quærite faciem ejus semper, Jun. 29.
105. Confitemini Domino quoniam bonus, Apr. 18.
Unus ex eis non remansit, Oct. 18.
107. Magnificata est usque ad Cœlos misericordia tua, In Fest. Visit. M. V.
108. Pro eo ut diligerent me, detrahebant mihi, ego autem orabam, Feria 4. Dom. Palm.
111. Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi, Febr. 24.
112. A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini, Oct. 17.
Erexit de terra inopem, & de stercore exaltavit pauperem, In Fest. SS. Petri & Pauli Apostol.
113. Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in Infernum, Sept. 3.
Non nobis Domine non nobis, sed nomini

tuo

ganimis, & multæ misericordiæ, Aprilis 16.

Levavi oculos meos à monte, Jul. 10. October 27.

121. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis, Nov. 29.

Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem, Decemb. 5.

125. Qui seminant in lacrymis in gaudio metent, In Festiv. Sanct. Simonis & Judæ Apostol.

129. De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Martii 29. Aprilis 1. 14. 25. & Maji 22.

131. Memento Domine David & omnis mansuetudinis ejus, Sept. 19.

134. Nisi quia bonus est Dominus, Jun. 25.

136. Super flumina Babylonis ibi sedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion, Decemb. 5.

137. Excelsus Dominus, & humilia respicit, excelsa autem à longè cognoscit, Apr. 18. Jun. 27. & Nov. 26.

Confitebor Domino in toto corde meo, Apr. 25.

138. Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in Cœlum tu ibi es: Si descendero in infernum ades, Aprilis 15.

Per diem errabant, & nemo in eis, In Festivit. Sanct. Philippi & Jacobi Apostol.

139. Libera me Domine ab homine malo, Febr. 21. Sept. 30.

Incipite Domino in confessione, Aprilis 20.
Qui sanat contritos corde, Ap. 21.
Laudate Dominum quoniam bonus psalmus: Deo nostra jucunda sit laus, Septemb. 2.
147. Lauda Jerusalem Dominum: quoniam confortavit seras portarum tuarum. Benedixit filios tuos in te. Qui posuit fines tuos pacem, Decem. 15.
148. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum ejus, Maij 9.
Ipse dixit & facta sunt ipse mandavit & creata sunt, In Fest. S. Joan. Evang.
149. Cantate Domino Canticum novum, Jun. 9.
Lætetur Israel in eo qui fecit eum, & filii Sion exultent in rege suo, Aug. 8. & Novemb. 19.

EX LIB. PROVERBIORUM.

Cap. 1. Et ego vestræ perditioni superidebo, Mart. 17.
Quia invocabunt me, & non exaudiam eos, Sept. 15.
Cap. 3. Ne dixeris vade, & revertere cras, ego dabo, cum possis continuò benefacere: non enim scis quid contingat sequenti die, Mart. 18.
Cap. 10. Melior est qui vincit iram, quàm qui capit civitatem, Jul. 19.
Cap. 13. Sunt qui se humiliant cum sint divites, Febr. 6.
Cap. 18. Peccator cum venerit in profundum malorum contemnit, Apr. 1.
Cap. 19. Multæ cogitationes sunt in corde

EX LIB. ECCLESIASTES.

EX CANT. CANT.

EX LIB. SAPIENTIÆ.

Cap. 2. Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum, Fer. 5. Domin. 2. Quadr.
Cap. 3. Disciplinam qui abjicit, infelix est, Jul. 22.
Cap. 4. Et traducent eos ex adverso iniquitates eorum, Maji. 25.
Cap. 5. Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol non ortus est nobis, Mart. 19.
Dicent intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Quid nobis profuit superbia, & divitiarum jactantia quid contulit? Apr. 7.
Hi sunt quos aliquando habuimus in risum, & in similitudinem improperii, nos insensati vitam eorum æstimabamus insaniam. Quomodo computati sunt inter filios Dei! Quid nobis profuit superbia? Maji 23.
Cap. 9. Corpus enim quòd corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem Feria 6. Ciner.
Cap. 11. Nihil odisti eorum quæ fecisti, Novemb. 24.

EX LIB. ECCLESIASTICI.

Cap. 1. Qui sine timore est, non poterit justificari, Apr. 24.
Initium sapientiæ timor Domini, Nov. 12.
Cap. 2. Deprime cor tuum & sustine, ut crescat in novissimo vita tua, Febr. 3.
Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & diverterunt in vias pravas, Febr. 11.
Luctus mortui septem dies, fatui autem & impii omnes dies vitæ illorum, Mart. 2.
Væ duplici corde, Aug. 30.

peris, & hæc pro te exorabit, Domin. 1. Quadr.
Cap. 36. Clarificare in omnibus gentibus, ſicut clarificatus es in nobis, Sept. 19.

EX ISAIA.

Cap. 1. Filios genui & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me, Sept. 21.
Cognovit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus Præſepe Domini ſui, Feria 5. Domin. 4. Adv.
Cap. 2. Erit in noviſſimis diebus manifeſtus mons Domini paratus in cacumine montium, Fer. 2. Dom. Quadr.
Cap. 7. Niſi credideritis non intelligetis, Oct. 4. 5.
Cap. 26. Tollatur impius ut non videat claritatem Dei, Maij 24. Oct. 15.
Domine Deus noſter poſſide nos, November 25.
Cap. 29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me, Oct. 4.
Cap. 35. Tranſiit labor eſt gemitus, Oct. 24.
Ipſe veniens ſalvos faciet nos, Fer. 4. Dom. 4. Adv.
Cap. 40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri: exſiccatum eſt fœnum & cecidit flos, Jan. 1. Febr. 1.
Verbum autem Domini manet in æternum, Jan. 1. 2. & 19.
Vox clamantis in deſerto parate viam Domini, In Feſt. S. Joan. Bapt.
Omnis vallis implebitur, omnis mons & collis humiliabitur æqualitas campi conſtituetur, In Feſt. S. Andreæ.
Cap. 42. Numquid ſemper tacebo? Mart. 17.
Tacui numquid ſemper tacebo? Mart. 21. & Sab. Sancto.

Cap. 46. Redite prævaricatores ad cor, Jul. 4.

Cap. 52. Gratis venundati estis, & sine pretio redimemini, Mart. 5.

Cap. 53. Sicut ovis ad immolandum ductus est sicut agnus coram tondente se obmutuit, Maji 21.

Generationem ejus quis enarrabit? Fer. 4. Dom. 1. Adv. Dom. 2. Adv.

Vidimus eum non habentem speciem neque decorem, Fer. 6. Dom. 1. Quadr.

Vidimus &c. sed vultus ejus abjectus & deformis positio ejus homo in plaga positus, & sciens ferre infirmitates, Feria 3. Dom. 2. Quadr.

Et sicut ovis coram tondente se sine voce, non aperuit os suum, Sab. Dom. 4. Quadr. & Fer. 2. Dom. Palm.

Et inter iniquos deputatus est, Dom. Palm. & Sab. Sancto.

Cap. 55. Quærite Dominum, & cùm inveneritis eum, derelinquat impius vias suas, & vir iniquus cogitationes suas, Jun. 29.

Cap. 57. Dabo illis solatium verum, pacem super pacem, Febr. 18.

Cap. 58. Frange esurienti panem tuum, & egenos sine tecto, induc in domum tuam; si videris nudum, vesti & domesticos semini tui ne despexeris, Jul. 15. Sept. 4.

Non hoc jejunium elegi dicit Dominus, Fer. 2. Dom. 1. Quadr.

Cap. 59. Non gravavit aurem nè audiat, sed peccata vestra separant inter vos & Deum, Fer. 2. Dom. 3. Adv.

Cap. 66. Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur, Mart. 14.

Super quem requiescit spiritus meus, Jun. 27.

EX IEREMIA.

Cap. 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontes lacrymarum, Mart. 11.

Cap. 17. Maledictus autem omnis qui ſpem ſuam ponit in homine, Jan. 31. Febr. 11. 12. Jun. 30.

Cap. 18. Si pœnituerit vos de peccatis veſtris, pœnitebit & me de omnibus malis, quæ facturus eram vobis, Apr. 8.

Cap. 23. Cœlum & terram ego impleo, Jun. 28. Sab. Dom. 2. Adv.

Cap. 31. Hoc eſt teſtamentum quod ordinabo eis poſt dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam, & in corde eorum ſcribam eam, Octob. 8.

Cap. 33. Dominus nomen eſt illi, Oct. 25.

EX EZECHIELE.

Cap. 18. In quacumque die iniquus converſus fuerit, omnes iniquitates ejus oblíviſcar, Mart. 17. 18. Apr. 5.

Cap. 34. Et vos oves meæ, hæc dicit Dominus Deus, ecce ego judico inter ovem & ovem, & arietes & hircos, Jul. 7.

Numquid non ſufficit vobis, quia bonam paſcuam paſcebatis, & reliquias paſcuæ veſtræ conculcabatis pedibus veſtris, & potabatis aquam, quæ ſubſidebat, & reliquam pedibus veſtris turbabatis, & oves meæ conculcationes pedum veſtrorum paſcebant, & conturbatam pedibus veſtris aquam potabant? Jul. 12.

Cap. 36. Polluebant nomen Dei ſui, Jun. 8.

EX MATTHÆO.

Cap. 1. Vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum, In Fest. Circumc.

Cùm esset homo justus, In Fest. Sancti Joseph.

Liber generationis Jesu Christi Filii David, Sab. Dom. 3. Adv.

Joseph Fili David ne metueris accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est de spiritu Sancto est. Pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jesum. In Fest. S. Joseph.

Cap. 2. Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim Stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum, in Fest. Epiph.

Cap. 3. Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus, Apr. 17.

Ignis in conspectu ejus ardebit, Maji 29.

Paleas autem comburet igne inextinguibili, Maji 31.

Cap. 4. Venite post me faciam vos piscatores hominum, In Fest. S. Andreæ.

Cap. 5. Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt, Jan. 23. Febr. 18. Novem. 2. Decemb.

Qui vident mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo, Mart. 3.

Quia fecit solem suum oriri super bonos & malos, Mart. 19. Apr. 16.

Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis, Mart. 29.

Beati misericordes quoniam ipsorum miserebitur Deus, Apr. 26. 27.

Luceant opera vestra coram hominibus, &

ram hominibus, ut videamini ab eis, Jun. 11. 12. 15.
Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, Jun. 16.
Pater noster qui es in Cœlis, Jul. 19. Sept. 21. 22. & Fer. 4. Dom. 1. Quadr.
Scit enim Pater vester quid vobis necessarium sit, priusquàm petatis ab eo, Sept. 7.
Cùm autem oratis, nolite esse sicut hypocritæ, qui stant in plateis & vicis orantes, ut videantur ab hominibus. Tu autem cùm oras intra in cubiculum tuum, & claude ostium, & deprecare Deum tuum in oculto, & qui videt in occulto reddet tibi, Sept. 8.
Si dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis & Pater vester peccata vestra, Sept. 20. 23.
Si autem non dimiseritis hominibus, nequè Pater vester dimittet vobis peccata, Sept. 23.
Nemo potest duobus Dominis servire, Oct. 25.
Ne nos inferas in tentationem, In Fest. S. Laurentii.
Cap. 7. Lata & spatiosa est via, quæ ducit ad interritum, & multi sunt qui ingrediuntur per illam, Mart. 8.
Petite & dabitur vobis; quærite & invenietis; pulsate & aperietur vobis, Jul. 28.
Nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Aug. 16.
Tunc confitebor illis, quia numquam novi vos; discedite à me qui operamini iniquitatem, Aug. 6.
Festucam in oculo fratris tui vides, & trabem in oculo tuo non vides, Septemb. 28. Fer. 3. Dom. 1. Quadr.
Cap. 8. Multi ab Oriente & Occidente venient,

Cap. 12. Hypocritæ quomodo poteſtis bona loqui cum ſitis mali? Aug. 27.
Quicumque fecit voluntatem Patris mei qui in Cœlis eſt, ipſe mihi frater & ſoror & mater eſt, In Feſt. Præſent. Mariæ Virg.
Cap. 13. Visimus & colligimus ea? Nonne bonum ſemen ſeminaſti? Unde ergo apparuerunt zizania? Jul. 7.
Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur, Jul. 28.
Beati oculi, qui vident quæ vos videtis, & aures quæ audiunt quæ vos auditis: multi enim Prophetæ & juſti voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis & non audierunt, In Feſt. S. Bartholomæi.
Cap. 16. Quid prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur? Febr. 20. Mart. 25. 26. Nov. 20. & in Feſt. SS. Simonis, & Judæ.
Reddet enim Dominus unicuique ſecundùm opera ſua, Maji 11.
Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit. Aug. 2.
Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Aug. 21.
Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Oct. 23.
Abſit à te, Domine propitius eſto tibi. Redi poſt me Satanas, non enim ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum, Novem. 4.
Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me, In Feſt. S. Lauren. & Sab. Dom. Paſſionis.
Cap. 17. Si habueritis fidem ſicut granum Sinapis, Oct. 3.
Cap. 18. Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum, Jul. 24.
Cap. 19. Si vis venire ad vitam, ſerva mandata, Jan. 16.

vestem nuptialem? ligate illi manus & pedes, & projicite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium, Fer. 3. Dom. 1. Adv.
Qui invitati erant non fuerunt digni. In Feſt. Corporis Chriſti.
Cap. 23. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, Jul. 17.
Quæ dicunt vobis; facite; quæ autem faciunt facere nolite, Oct. 21.
Cap. 24. Qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit, Febr. 10. & in Feſt. Inv. S. Crucis.
Et Cœlum & terra tranſibunt, Febr. 19.
Quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcit charitas multorum. In Feſt. Invent. S. Crucis, & Oct. 29.
Cap. 25. Eſurivi, & dediſtis mihi manducare, ſitivi, & dediſtis mihi potum, hoſpes fui, & adduxiſtis me, Febr. 8. Mart. 29. Jun. 22. Jul. 29. & Sept. 1.
Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi, Mart. 8. 21. Apr. 27. Maji 23. 24. 31. & Sept. 8. 23. 25. 26. Nov. 6. Dec. 9.
Ite in ignem æternum qui præparatus eſt diabolo, & Angelis ejus, Mart. 19. 21. Apr. 7. 24. Maji 6. 11. 13. & Oct. 22.
Cùm uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, Maji 17. Jul. 26. 27. Aug. 31.
Cum venerit filius hominis, & omnes Angeli cum eo, ſedebit in ſede gloriæ ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eas, ſicut paſtor ſeparat oves ab hædis, Jul. 7.
Cap. 26. Pater, ſi fieri poteſt tranſeat à me calix iſte, Maji 4. Sept. 12. Dom. 2. Quadr. Sab. Dom. 3. Quad. & Fer. 2. Dom. 4. Quadr.
Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem, Sab. Dom. 3. Quadr. & Dom. 4. Quadr.

E X M A R C O.

E X L V C A.

lius Dei, Oct. 11. in Fest. Annunc. M. V. & Fer. 6. Dom. 1. Adv.
Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur. In Fest. S. Jopseh. Fer. 5. Dom. 1. Adv.
Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? In Fest. Annunc. M. V. & Fer. 6. Dom. 1. Adv.
Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo. In Fest. Visit. M. V.
Ave Maria gratia plena, Fer. 5. Dominic. 1. Advent.
Cap. 2. In terra pax hominibus bonæ voluntatis, Sept. 1. in Fest. Epiphan. & Fer. 6. Dom. 4. Adv.
Gloria in excelsis Deo. In Fest. Epiph. Fer. 6. Dom. 4. Adv.
Quid nobis fecistis sic? Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ille: non sciebatis, quia oportet me in his esse, quæ Patris mei sunt? In Fest. S. Joseph.
Cap. 6. Dimittite & dimittetur vobis, date & dabitur vobis, Apr. 26. 27. 28. Jul. 25. Fer. 5. Ciner. Dom. 1. Quadrag. & Fer. 2. Dom. 1. Quad.
Cap. 8. Qui habet aures audiendi audiat, Novemb. 14.
Cap. 10. In illa hora exultavit Jesus in Spiritu Sancto, & ait: Confiteor tibi Pater, Domine Cœli & Terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis, Apr. 19.
Miserere mei Fili David, Jul. 9.
Ecce in nomine tuo & dæmonia nobis subjecta sunt. Nolite in hoc gaudere, quia dæmonia vobis subjecta sunt: gaudete potiùs quia nomina vestra scripta sunt in Cœlo, Aug. 16.

Mul-

Angelis in ſinum Abrahæ, Maji 10. 11.
Memento quia percepiſti bona in vita tua, Maji 28.
Lex & Prophetæ uſque ad Joannem Baptiſtam. In Feſt. S. Joan. Bapt.
Cap. 17. Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum; & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et ſi ſepties in die peccaverit in te, & veniens dixerit. Pœnitet me, dimitte illi, Jul. 20.
Cap. 18. Domine propitius eſto mihi peccatori, Apr. 11. Sept. 18.
Amen dico vobis, quia deſcendit juſtificatus Publicanus ille magiſquàm ille Phariſæus: quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur, April. 17.
Quia oportet ſemper orare, & non deficere, Sept. 18. Dec. 9.
Sic nec Deum timeo, nec homines reverear, vel propter tædium quod mihi quotidie facit hæc vidua, audiam cauſam ejus, & vindicabo eam, Sept. 10.
Si judex nequam hoc fecit, Pater veſter non vindicabit electos ſuos, qui ad eum clamant die ac nocte? Ita dico vobis faciet judicium eorum citò, Sept. 10.
Cap. 19. Venit filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat. In Feſt. Circumciſ. & Fer. 5. Dominic. 3. Quadrageſimæ.
Cap. 20. Quicumque offenderit in lapidem iſtum conquaſſabitur; & ſuper quem venerit lapis iſte, conteret eum, Auguſti 27.
Oportebat pati Chriſtum, & reſurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum. In Feſt. S. Matth.

Cap.

EX JOANNE.

Sine

Sine ipso factum est nihil, Fer. 5. Domin. 3. Adven. Fer. 4. Domin. 4. Advent. & Fer. 3. Dom. Pass.
Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem, Mart. 26. Dec. 11.
In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, Maji 24. Jun. 2. 10. Aug. 1. 2. . . . . . . Oct. 6. 10. Nov. 25. in Fest. S. Joan. Bapt. Fer. 3. Domin. 2. Adv. Fer. 4. Dom. 1. Adven. Fer. 5. Domin. 4. Adven. & in die Nativitat. Domini.
Hoc erat in principio apud Deum, Jun. 2.
Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, Jun. 4. Aug. 7. Fer. 3. Domin. 2. Advent. Fer. 2. Dominic. 2. Quadrag. & Dom. Paschæ.
Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, Jun. 5. August. 6. Septemb. 21.
Deum nemo vidit umquam, Jul. 15.
Credentibus in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, Aug. 6. Fer. 3. Dom. 2. Adv.
Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt, Aug. 11.
Et vidimus gloriam ejus, gloriam tamquàm Unigeniti à Patre, plenum gratia & veritate. In Fest. S. Matth. Apost.
Et mundus eum non cognovit, Fer. 5. Domin. 2. Adv.
Cap. 3. Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo filius hominis, qui est in Cœlo. In Fest. Ascen. & Nov. 4.
Illum oportet crescere me autem minui, Jun. 10. Fer. 6. Dom. 3. Adv.
Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret. In Fest. Visit. M. V.
Qui

Dixerunt ad eum fratres ejus: transi hinc & vade in Judæam, ut & discipuli tui videant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse, manifesta teipsum mundo, Dom. 2. Quadr.

Cap. 8. Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati, Mart. 5.

Nonne verum dicimus, quia Samaritanus es, & dæmonium habes? Apr. 15. Aug. 24.

Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum, Maji 8.

Vos de hoc mundo estis, ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris, Maji 11.

Ego sum lux mundi, qui me sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ . . . 11.

Dicebat ergo Dominus ad eos qui crediderunt in eum Judæos. Si vos manseritis in verbo meo, Oct. 3.

Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei estis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos, Oct. 6.

Ego sum lux mundi, Oct. 25.

Non à me ipso veni, ille me misit, à Deo processi & veni, Dom. 4. Adven.

Cap. 9. Venit nox quando nemo potest operari, Maji 11.

Cap. 10. Ego & Pater unum sumus, Aug. 16. Oct. 10. Fer. 4. Dom. 2. Adv.

Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo sumendi eam: nemo tollit eam à me; sed ego pono eam, & iterum sumam, Aug. 24.

Ego sum Pastor bonus, In Fest. Exaltationis S. Crucis.

Cap. 11. Solvite illum, & sinite abire, Mart. 15.

Jan. 20. Mart. 26. Aug. 4. 5. 13. Oct. 6. 31. Decem. 22. & Dom. 4. Adv.

Ecce venit Princeps mundi, & in me nihil invenit. Sed ut sciant omnes quia voluntatem Patris mei facit. Surgite eamus hinc, Maji 5. Sab. Dom. 4. Quadr.

Qui diligit me mandata mea custodit, & qui diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, Jun. 17. Oct. 3. Decem. 31.

Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis, Jan. 14. Aug. 1. 31. Decem. 26.

Quia ego ad Patrem vado, & quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam, Sept. 13.

Et ostendam meipsum illi, Oct. 3.

Nemo venit ad Patrem nisi per me, Oct. 4.

Tanto tempore vobiscum sum, & non me vidistis, Fer. 3. Dom. 2. Quadr.

Cap. 15. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis, Sept. 18.

Majorem hac charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis, Octob. 12. Dom. 3. Quadr. & in Fest. Corp. Christi.

Ego sum vitis vera, vos estis sarmenta, Pater meus Agricola, Oct. 19.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, Novem. 3.

Jam non dicam vos servos, sed amicos, Decemb. 20.

Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis, Fer. 2. Pentec.

Nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum; sed ut impleatur sermo

quæritis? Responderunt ei Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus, Ego sum. Stabat autem & Judas qui tradebat eum cum ipsis: ut ergo dixit eis, ego sum, abjerunt retrorsum, & ceciderunt in terram, Fer. 4. Domin. 4. Quadr.

Calicem quem dedit mihi Pater non bibam illum? Fer. 4. Dom. 4. Quadr.

Cohors autem, & Tribunus, & Ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum, Fer. 4. Dom. 4. Quadr.

Adduxerunt eum ad Annam primùm. Pontifex ergò interrogavit Jesum de discipulis suis, & de doctrina ejus. Respondit ei Jesus, Ego palam locutus sum mundo, Ego semper docui in Synagoga & in Templo quò omnes Judæi conveniunt, & in oculto locutus sum nihil, quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis: ecce hi sciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixisset unus assistens Ministrorum dedit alapam Jesu dicens, sic respondes Pontifici? Respondit ei Jesus, si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem benè quid me cædis? Fer. 5. Dom. 4. Quadr.

Dixit ergo Petro Ancilla ostiaria; numquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille. Non sum, Fer. 6. Domin. 4. Quadragesimæ.

Adducunt ergò Jesum ad Caipham in prætorium. Erat autem manè & ipsi non introjerunt in prætorium, Dom. Pass.

Exivit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit. Quam accusationem affertis adversum hominem hunc? Responderunt, & dixerunt ei, si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum, Dom. Pass.

Accipite eum vos & secundùm legem vestram judicate eum, Fer. 2. Dom. Pass.

Di-

Dicit Judæis, ecce Rex vester. Illi autem clamabant. Tolle, tolle, Crucifige eum. Dixit eis Pilatus Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices, non habemus Regem nisi Cæsarem. Tunc ergò tradidit eum illis, ut crucifigeretur, Fer. 6. Dominicæ Passionis.

Susceperunt autem Jesum & eduxerunt: & bajulans sibi Crucem exiit in eum qui dicitur Calvariæ locum, hæbraicè Golgotha, ubi crucifixerunt eum, Sab. Dom. Pass. & Dom. Palm.

Et cum eo alios duos hinc & hinc medium autem Jesum, Dom. Pass.

Posteà sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dicit. Sitio. Vas ergò positum erat aceto plenum, illi autem spongiam plenam aceto hysopo circumponentes obtulerunt ori ejus. Cùm ergò accepisset Jesus acetum, dicit. Consummatum est, & inclinato capite tradidit Spiritum, Fer. 5. in Cœn. Dom. & Fer. 6. in Parasceve.

Cap. 20. Beati qui non viderunt, & crediderunt, Oct. 24.

Vidimus Dominum. Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in latus ejus non credam. In Fest. S. Thom. Apost.

Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. In Fest. S. Thom. Apost.

Dominus meus, & Deus meus. Quia vidisti me Thoma credidisti. Beati qui non vident, & credunt. In Fest. Sancti Thom. Apost.

Cap. 21. Alter te cinget & feret quò tu non vis, Maji 4.

EX ACTIS APOSTOLORUM.

Cap. 17. In illo enim vivimus, & movemur, & sumus. In die Nativ. Dom.

EX EPISTOLA D. PAULI AD ROMANOS.

Cap. 1. Et servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in Sæcula, Jan. 20.

Ignoras quia Dei patientia ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundùm duritiam cordis tui, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera sua, Mart. 14.

Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & obscuratum est insipiens cor eorum, Mart. 19.

Justus ex fide vivit, Oct. 2. 7. 8.

Invisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt conspiciuntur, Oct. 5.

Tradidit illos Deus in concupiscentiam cordis sui, Dec. 14.

Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodò non & cum illo omnia nobis donabit? Decemb. 16.

Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quia sumus filii Dei. Si autem filii & hæredes, Dec. 27.

Cap. 2. An divitias longanimitatis, & mansuetudinis ejus contemnis, ignorans quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundùm duritiam cordis tui, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, qui reddit unicuique secundùm opera sua, Mart. 17. & Apr. 16.

Non

Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum deſideriis ejus, neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis, Nov. 23.
Quam enim gloriam habuiſtis in his, in quibus modò erubeſcitis? Maji 25. Fer. 3. Domin. 1. Adv.
Cap. 7. Mente ſervio legi Dei, Mart. 23. 24.
Carne autem legi peccati, Mart. 29. Sept. 26. Fer. 3. Pent.
Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Sept. 23. Dec. 20. & Fer. 3. Dom. 1. Adven.
Peccatum ut appareat peccatum per bonum mihi operatum eſt mortem, Fer. 6. Domin. 3. Quadr.
Cap. 8. Si Deus pro nobis quis contra nos? Qui Filio ſuo proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, Jun. 2. Aug. 1. Oct. 31. In Feſt. Viſit. M. V. Fer. 3. Dom. 3. Adv. Fer. 6. Dom. 2. Adv. & Fer. 4. Dom. 4. Quadr.
Si enim quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus, Jun. 29. Auguſt. 13. Decemb. 1.
Quomodò non & cum illo omnia nobis donavit, Aug. 1.
Quid enim videt quis quid ſperat, Dec. 1.
Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti? Aug. 16.
Spe enim ſalvi facti ſumus, Aug. 13. Sep. 30. Nov. 4. Dec. 1. 3.
Quid enim oremus ſicut oportet neſcimus, Sept. 12.
Adoptionem expectantes, in nobis metipſis ingemiſcimus adhuc . . . . Octobr. 24.

Cap.

Cap. 12. Reformamini in novitate mentis vestræ, Jan. 26.
Spiritu ferventes, Apr. 8.
Spe gaudentes in tribulatione patientes, Aug. 3. Oct. 30. 31.
Obsecro itaque vos fratres per miserationem Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, Fer. 4. Ciner.
Cap. 13. Plenitudo autem legis est Charitas, Jan. 22. Nov. 3. 8. 15.
Dilectio proximi malum non operatur, Jul. 4. Nov.
Nox præcessit dies autem apropinquavit: abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamus nos arma lucis sicut in die honestè ambulemus, Fer. 6. Dom. 3. Adv.
Non adulterabis, non homicidium facies, non concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur. Diliges proximum tuum tamquam teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo autem legis est Charitas, Jul 2. 4. 5.
Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, Aug. 27. 28. Oct. 8. 9. 12. 21. & in die Nat. Domin. 1.

Ex Epistola ad Corinthios.

Cap. 1. Qui gloriatur in Domino glorietur, Jun 10. & in Fest. SS. Apost. Petri & Pauli.
Nos autem prædicamus Christum Crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, Aug. 28.
Videte enim vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem non multi potentes, non multi nobiles, sed infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia ele-

Cap. 6. Et non estis vestri, empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro, Mart. 4. Decem. 3. & Fer. 6. Dom. 2. Adv.

Esca ventri, & venter escis. Deus autem & hunc & eas evacuabit, Jul. 28. Decem. 22.

Cap. 7. De cœtero fratres tempus breve est, superest, ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint, & qui emunt tamquam non possidentes; & qui gaudent tamquam non gaudentes, & qui flent tamquam non flentes, & qui utuntur hoc sæculo tamquam non utantur prę-terit enim figura hujus mundi, Jan. 8.

Cap. 8. Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis, Jul. 21.

Cap. 9. Si nos vobis spiritalia seminavimus, magnum est, si carnalia metamus, In Fest. S. M. Magd.

Non sic curro tamquam in incertum, non sic pugillor tamquam aerem cœdens, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, nè forte aliis prædicans ipse reprobus inveniar, Fer. 6. Ciner.

Cap. 10. Placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi prodest, sed quod multis, ut salvi fiant, Jul. 12.

Petra autem erat Christus, Jul. 17. Aug. 21. Decem. 1.

Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Fidelis Deus qui vos non sinet tentari supra quam potestis ferre, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis tolerare, Septemb. 29. Fer. 3. Dominic. Pass.

Qui se putat stare videat nè cadat, Oct. 27.

Unus panis, unum corpus multi sumus, In Fest. Corp. Christi.

Non ego autem, ſed gratia Dei mecum, Jun. 14.

Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt, abſorpta eſt mors in victoriam. Dom. Reſur. Oct. 19. Dec. 4. 17. 21. 23. 29.

Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale, Oct. 19. 28.

Gratias Deo qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Decemb. 3.

Quando mors noviſſima inimica deſtruetur, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt abſorpta eſt mors in victoriam, Decem. 4.

Omnes enim reſurgemus, ſed non omnes immutabimur, Decemb. 17.

Caro, & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Neque corruptio incorruptionem poſſidebit, Dec. 19.

Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus miſerabiliores ſumus omnibus hominibus, Dec. 30.

Sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Chriſto omnes vivificabuntur, Fer. 3. Dom. 1. Advent.

Ex Epiſtola ſecunda ad Corinthios.

Cap. 2. Chriſti bonus odor ſumus, Dec. 29.

Cap. 4. Etenim quod eſt ad præſens temporale & leve tribulationis noſtræ, juxta incredibilem modum, & inincredibilem modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis, Dec. 10.

Cap. 5. Ut qui vivunt non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit, Jan. 15.

Quandiu in corpore ſumus peregrinamur à Domino, Jan. 19. Apr. 30. Fer. 3. Dom. 2. Quadr.

Cap. 7. Mundate vos ab omni coinquinatione carnis, & spiritus, Dec. 20.
Cap. 8. Pauper pro nobis factus est, cum esset dives, ut illius paupertate vos ditaremini, Febr. 23. Aug. 3. & Fer. 5. Dom. 3. Advent.
Providemus enim bona, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus, Julii 12.
Consilium in hoc do, hoc enim vobis prodest, qui non solùm sapere, sed etiam velle cœpistis ab anno priore, Jul. 28.
Cap. 9. Hilarem autem datorem diligit Deus, Jul. 30. & in Fest. Inven. S. Crucis.
Optavi vos uni viro Virginem castam exibere Christo. Timeo autem ne sicut Serpens Evam decepit astutia sua, ne corrumpantur mentes vestræ à castitate quæ est in Christo, Oct. 17.
A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi. Ter virgis cœsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, Nov. 9.
Desponsavi enim vos uni Viro Virginem castam exhibere Christo. In Fest. Nativ. Mariæ Virgin.
Cap. 12. In magnitudine revelationum nè extollas, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogavi, ut aufferret eum à me, & dixit mihi, sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur, Sept. 15. Decem. 14. & Fer. 6. Dom. 3. Quadrag.

Ex Epistola ad Galatas.

Cap. 1. Si hominibus placere vellem Christi servus non essem, Jul. 12.

Cap. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu mansuetudinis, intendens teipsum nè & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi, Jul. 6. 24. 31. Nov. 26.

Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo, Jul. 17. Oct. 2. Dec. 3. in Fest. S. Lauren. Fer. 4. Ciner. Sab. Dom. 1. Quadr. Domin. 2. Quadr. Sab. Dom. Pass. & in Fest. Inven. S. Crucis.

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

Cap. 1. Qui nos elegit ante mundi constitutionem, Jun. 1.

Cap. 2. Ipse est pax nostra qui fecit utraque unum, In Fest. Epiph.

Gratia salvi facti estis per Fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, nè fortè quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum; creati in Christo Jesu in operibus bonis, In Fest. S. Mathiæ, Dec. 3.

Vos estis cives Sanctorum, & domestici Dei superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, In Fest. S. Barth.

Cap. 3. Jn charitate radicati, & fundati, Febr. 29.

Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis Paternitas in Cœlis, & in Terra nominatur, ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum ejus in interiori homine. Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati; ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo,

Sur-

Surge qui dormis, & exurge à mortuis, Oct. 2.

Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino, Novemb. 6. Dec. 3.

EX EPIST. D. PAULI AD PHILIPPENSES.

Cap. 1. Cupio dissolui, & esse cum Christo, Novemb. 12.

Cap. 2. Deus est qui operatur in nobis velle & operari pro bona voluntate, April. 20. Novemb. 28.

Qui cùm in forma Dei esse non rapinam arbitratus est esset æqualis Deo, Maji 24. Fer. 4. Domin. 3. Quadr. Fer. 6. in Pass. Aug. 3. Oct. 10. Dom. 4. Adv. Fer. 2. Domin. 4. Adv. & Fer. 4. Dom. 4. Adv.

Habitu inventus ut homo, Jun. 10. Fer. 6. in Parasc.

Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi, Jun. 11.

Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini, Jan. 31.

Factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, Fer. 2. Dom. 4. Quadrag. Sab. Dom. 4. Quadr. Fer. 5. in Cœna Domini.

Semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, Fer. 6. in Parasc. Aug. 3. Fer. 2. Dom. 3. Adv. & in Fest. Annunt.

Cap. 3. Unum autem quæ retro oblitus, in ea, quæ ante sunt extentus, secundùm intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu, Jan. 11. Oct. 29. 30.

Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim. Fratres ego me non arbitror apprehendisse, Oct. 29. 30.

Con-

EX EPIST. PRIMA D. PAULI AD THESSALONICENSES.

Cap. 4. Operantes propriis manibus vestris, Decemb. 3.
Cap. 5. Sine intermissione orate, Sept. 5. Oct. 29.

EX EPIST. PRIMA D. PAULI AD TIMOTHEUM.

Cap. 1. Finis autem præcepti est Charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, Jan. 22. Jul. 3. 15. Nov. 5.
Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in mundum, peccatores salvos facere, August. 9. & in Fest. Circumc.
Humanus sermo, & omni acceptatione dignus, quia Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere, quoniam primus ego sum, Sab. Domin. 2. Adv. & in Fest. SS. Apost. Petri & Pauli.
Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem longanimitatem ad informationem eorum, qui crediturі sunt illi in vitam æternam, in Fest. SS. Apost. Petri & Pauli.
Cap. 2. Levantes puras manus sine ira, & disceptatione, Sept. 4.
Qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, In Fest. S. Lauren.
Cap. 4. Forma esto fidelibus, Jul. 10.
Bonum agonem certavi cursum consummavi, fidem servavi, de cætero superest mihi corona justitiæ, quam mihi reddet Dominus in illa die justus judex, Jun. 14.

Cap.

EX EPIST. SECUNDA D. PAULI AD TIMOTHEUM.

In novissimis temporibus instabunt tempora periculosa, Nov. 20.

Ego autem jam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de cætero superest mihi corona justitiæ, quam mihi Dominus reddet in illa die justus Judex, Dom. 4. Quadr.

EX EPIST. D. PAULI AD TITUM.

Cap. 1. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, Aug. 27.

Omnia munda mundis, immundis autem & infidelibus nihil est mundum, Sept. 24.

Cap. 3. Non ex operibus nè fortè quis extollatur, Jun. 13.

Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit, In Fest. S. Mathiæ.

EX EPIST. D. PAULI AD HEBRÆOS.

Cap. 11. Credere enim oportet qui ad Deum accedit quia est, & quærentibus eum mercedis redditor erit, Oct. 10.

Cap. 12. Quia flagellat omnem filium quem recipit, Febr. 16. Jun. 18. Feria 3. & 4. Dom. Pass. & Aug. 3.

Quem enim diligit Dominus corrigit, Fer. 4. Dom. Pass. Aug. 13.

Si separatis vos à disciplina, ergo nothi & non estis filii. Quis enim est filius, cui non det disciplinam Pater ejus? & carnis quidem nostræ Patres habebamus correptores, & reverebamur: non multò magis subjicimur Patri spirituum, & viveremus, Dec. 8.

Cap. 13. Sine amore pecuniæ modus sufficiens est præsentibus, Jan. 9.

EX

EX EPIST. D. IACOBI.

EX EPIST. PRIMA D. PETRI.

Quis eſt ante Deum dives? Febr. 24.
Cap. 4. Sufficit præteritum tempus voluntates gentium conſumaſſe, Apr. 29.
Cap. 5. Vigilare vos oportet adverſus tentationes, quia adverſarius veſter diabolus circuit quærens quem devoret, In Feſt. Aſcen.

EX EPIST. SECVNDA D. PETRI.

Cap. 1. Quaſi lucernæ ardenti in caliginoſo loco, donec dies luceſcat, Febr. 18.
Cap. 2. A quo enim devictus eſt huic & ſervus addictus eſt, Mart. 5.
Facta ſunt illis poſteriora deteriora prioribus melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm cognoſcentibus retrorſum reflecti à tradito ſibi ſancto mandato, Mart. 11. 15.
Canis converſus ad ſuum vomitum, Octob. 30.

EX EPIST. PRIMA D. IOANNIS.

Cap. 1. Si dixerimus peccatum non habemus nos metipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt, Mart. 31. Apr. 17. Jul. 20. Oct. 15. Nov. 5. & Fer. 4. Dom. 1. Quadr.
Ecce quam dilectionem dedit nobis Pater, ut filii Dei vocemur & ſimus, Jun. 8.
Si autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, qui dimittit nobis peccata, & mundat nos ab omni iniquitate. Hæc ſcripſi vobis ut non peccetis, & ſi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum Juſtum: & ipſe eſt exoratio peccatorum noſtrorum, Oct. 15.
Cap. 2. Deſiderium carnis eſt, & deſiderium oculorum, & ambitio ſæculi 4.
Nolite diligere mundum, neque ea quæ ſunt in

Ti-

Timor non est in dilectione, sed perfecta dilectio foris mittit timorem, quia timor tormentum non habet, Apr. 24.

Si diligamus invicem Deus in nobis manebit & dilectio ejus erit perfecta in nobis, Jun. 26.

Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? & hoc mandatum habemus ab ipso, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum, Jul. 1. & 15.

Deus charitas est, & qui manet in dilectione in Deo manet, & Deus in illo manet, Novemb. 2. 26.

In hoc perfecta est dilectio in nobis, ut fiduciam habeamus in die judicii, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo, Novemb. 12.

Nos diligimus, quia ipse prior nos dilexit, Nov. 24. 25.

Cap. 5. Quia si malè sentiat cor nostrum, major est Deus corde nostro, & novit omnia, Jun. 16.

Videbimus eum sicuti est, Jun. 17.

Omnis qui diligit, qui genuit eum, diligit eum, qui genitus est ab ipso, Jul. 1.

Et præcepta ejus gravia non sunt, Nov. 8.

Hæc est enim dilectio Dei, ut præcepta ejus servemus, Nov. 14.

EX APOCALYPSI.

Cap. 3. Ecce sto ad ostium & pulso: si quis surrexerit, & aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum, Dom. 1. Adven.

Cap. 5. Qui aperit, & nemo, claudit, claudit, & nemo aperit, In Fest. S. Steph.

Vicit Leo de Tribu Juda, In Fest. Ascens.

Cap.

FINIS.

